

PHEDRE

FABLES (1949 vers)

Prologus

P1_1 v.1 Aesopus auctor quam materiam repperit,
 2 hanc ego polivi versibus senariis.
 3 Duplex libelli dos est, quod risum movet
 4 et quod prudentis vitam consilio monet.
 5 Calumniari siquis autem voluerit,
 6 quod arbores loquantur, non tantum ferae,
 7 fictis jocari nos meminerit fabulis.

Lupus et Agnus

P1_2 v.1 Ad rivum eundem lupus et agnus venerant,
 2 siti compulsi. Superior stabat lupus
 3 longeque inferior agnus. Tunc fauce improba
 4 latro incitatus jurgii causam intulit.
 5 "Quare", inquit, "turbulentam fecisti mihi
 6 aquam bibenti ? " Laniger contra timens :
 7 "Qui possum, quaeso, facere quod quereris, lupe ?
 8 A te decurrit ad meos haustus liquor".
 9 Repulsus ille veritatis viribus :
 10 "Ante hos sex menses male" ait "dixisti mihi".
 11 Respondit agnus : "Equidem natus non eram".
 12 "Pater hercle tuus" ille inquit "male dixit mihi" ;
 13 atque ita correptum lacerat injusta nece.
 14 Haec propter illos scripta est homines fabula
 15 qui fictis causis innocentes opprimunt.

Ranae Regem Petunt

P1_3 v.1 Athenae cum florerent aequis legibus,
 2 procax libertas civitatem miscuit,
 3 frenumque solvit pristinum licentia.
 4 Hic conspiratis factionum partibus
 5 arcem tyrannus occupat Pisistratus.
 6 Cum tristem servitutem flerent Attici,
 7 (non quia crudelis ille, sed quoniam gravis
 8 omnino insuetis, onus et coepissent queri),
 9 Aesopus talem tum fabellam rettulit.
 10 Ranae vagantes liberis paludibus
 11 clamore magno regem petiere ab Jove,
 12 qui dissolutos mores vi compesceret.
 13 Pater deorum risit atque illis dedit
 14 parvum tigillum, missum quod subito vadis
 15 motu sonoque terruit pavidum genus.
 16 Hoc mersum limo cum jaceret diutius,
 17 forte una tacite profert e stagno caput,
 18 et explorato rege cunctas evocat.
 19 Illae timore posito certatim adnatant
 20 lignumque supra turba petulans insilit.
 21 Quod cum inquinassent omni contumelia,
 22 alium rogantes regem misere ad Jovem,
 23 inutilis quoniam esset qui fuerat datus.

24 Tum misit illis hydram, qui dente aspero
 25 corripere coepit singulas. Frustra necem
 26 fugitant inertes ; vocem praecludit metus.
 27 Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem
 28 adflictis ut succurrat. Tunc contra deus :
 29 "Quia nolulistis vestrum ferre" inquit "bonum,
 30 malum perferte". Vos quoque, o cives," ait
 31 "hoc sustinete, majus ne veniat, malum".

Graculus Superbus et Pavo

P1_4 v.1 Ne gloriari libeat alienis bonis,
 2 suoque ut potius habitu vitam degere,
 3 Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
 4 Tumens inani graculus superbia
 5 pinnas pavoni quae deciderant sustulit
 6 seque exornavit. Unde contemnens suos
 7 immiscet se ut pavonum formoso gregi.
 8 Illi impudenti pinnas eripiunt avi
 9 fugantque rostris. Male mulcatus graculus
 10 redire maerens coepit ad proprium genus ;
 11 a quis repulsus tristem sustinuit notam.
 12 Tum quidam ex illis quos prius despexerat :
 13 "Contentus nostris si fuisses sedibus
 14 et quod Natura dederat voluisses pati,
 15 nec illam expertus esses contumeliam,
 16 nec hanc repulsam tua sentiret calamitas."

Canis per Fluvium Carnem Ferens

P1_5 v.1 Amittit merito proprium qui alienum adpetit.
 2 Canis per flumen carnem cum ferret natans,
 3 lympharum in speculo vidit simulacrum suum,
 4 aliamque praedam jam ab alio ferri putans
 5 eripere voluit ; verum decepta aviditas
 6 et quem tenebat ore dimisit cibum
 7 nec quem petebat adeo potuit tangere.

Canis et Capella, Ovis et Leo

P1_6 v.1 Numquam est fidelis cum potenti societas ;
 2 testatur haec fabella propositum meum.
 3 Vacca et capella et patiens ovis injuriae
 4 socii fuere cum leone in saltibus.
 5 Hi cum cepissent cervum vasti corporis,
 6 sic est locutus partibus factis leo :
 7 "Ego primam tollo ; nominor quia rex meast ;
 8 secundam, quia sum consors, tribuetis mihi ;
 9 tum, quia plus valeo, me sequetur tertia ;
 10 malo adficietur si quis quartam tetigerit".
 11 Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

Ranae ad Solem

P1_7 v.1 Vicini furis celebres vidit nuptias
 2 Aesopus et continuo narrare incipit :
 3 uxorem quondam Sol cum vellet ducere,
 4 clamorem ranae sustulere ad sidera.
 5 Convicio permotus quaerit Juppiter
 6 causam querellae. Quaedam tum stagni incola :
 7 "Nunc" inquit "omnes unus exurit lacus
 8 cogitque miseris arida sede emori.

9 Quidnam futurum est si crearit liberos ? "

Vulpis ad Personam Tragicam
 P1_8 v.1 Personam tragicam forte vulpes viderat :
 2 "O quanta species" inquit "cerebrum non habet !"
 3 Hoc illis dictum est quibus honorem et gloriam
 4 Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

Lupus et Gruis
 P1_9 v.1 Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
 2 bis peccat, primum quoniam indignos adjuvat,
 3 impune abire deinde quia jam non potest.
 4 Os devoratum fauce cum haereret lupi,
 5 magno dolore victus coepit singulos
 6 inlicere pretio ut illud extraherent malum.
 7 Tandem persuasa est jurejurando gruis,
 8 gulaeque credens colli longitudinem
 9 periculosam fecit medicinam lupo.
 10 Pro quo cum pactum flagitaret praemium :
 11 "Ingrata es" inquit "ore quae nostro caput
 12 incolume abstuleris : en mercedem postules ? "

Passer ad Leporem Consiliator
 P1_10 v.1 Sibi non cavere et aliis consilium dare
 2 stultum esse paucis ostendamus versibus.
 3 Oppressum ab aquila, fletus edentem graves,
 4 leporem objurgabat passer : "Ubi pernecitas
 5 nota" inquit "illa est ? Quid ita cessarunt pedes ? "
 6 Dum loquitur, ipsum accipiter necopinum rapit
 7 questuque vano clamitantem interficit.
 8 Lepus semianimus : "Mortis en solacium.
 9 Qui modo securus nostra inridebas mala,
 10 simili querella fata deploras tua. "

Lupus et Vulpis Iudice Simio
 P1_11 v.1 Quicumque turpi fraude semel innotuit,
 2 etiam si verum dicit, amittit fidem.
 3 Hoc adtestatur brevis Aesopi fabula.
 4 Lupus arguebat vulpem furti crimine ;
 5 negabat illa se esse culpae proximam.
 6 Tunc iudex inter illos sedit simius.
 7 Uterque causam cum perorassent suam,
 8 dixisse fertur simius sententiam :
 9 "Tu non videris perdidisse quos petis ;
 10 te credo subripuisse quod pulchre negas".

Asinus et Leo Venantes
 P1_12 v.1 Virtutis expers verbis jactans gloriam
 2 ignotis fallit, notis est derisui.
 3 Venari asello comite cum vellet leo,
 4 contexit illum frutice et admonuit simul
 5 ut insueta voce terreret feras,
 6 fugientes ipse exciperet. Hic auritulus
 7 clamorem subito totis tollit viribus
 8 novoque turbat bestias miraculo.
 9 Quae dum paventes exitus notos petunt,
 10 leonis adfliguntur horrendo impetu.
 11 Qui postquam caede fessus est, asinum evocat

12 jubetque vocem premere. Tunc ille insolens :
 13 "Qualis videtur opera tibi vocis meae ? "
 14 "Insignis" inquit "sic ut, nisi nossem tuum
 15 animum genusque, simili fugissem metu".

Cervus ad Fontem

P1_13 v.1 Laudatis utiliora quae contempseris
 2 saepe inveniri testis haec narratio est.
 3 Ad fontem cervus cum bibisset restitit
 4 et in liquore vidit effigiem suam.
 5 Ibi dum ramosa mirans laudat cornua
 6 crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
 7 venantum subito vocibus conterritus
 8 per campum fugere coepit et cursu levi
 9 canes elusit. Silva tum excepit ferum ;
 10 in qua retentis impeditus cornibus
 11 lacerari coepit morsibus saevis canum.
 12 Tum moriens edidisse vocem hanc dicitur :
 13 "O me infelicem, qui nunc demum intellego
 14 utilia mihi quam fuerint quae despexeram,
 15 et quae laudaram quantum luctus habuerint".

Vulpis et Corvus

P1_14 v.1 Quae se laudari gaudent verbis subdolis
 2 fere dat poenas turpi paenitentia.
 3 Cum de fenestra corvus raptum caseum
 4 comesse vellet, celsa residens arbore,
 5 vulpes ut vidit blande sic coepit loqui :
 6 "O qui tuarum, corve, pinnarum est nitor !
 7 Quantum decorem corpore et vultu geris !
 8 Si vocem haberes, nulla prior ales foret".
 9 At ille dum etiam vocem vult ostendere,
 10 emisit ore caseum, quem celeriter
 11 dolosa vulpes avidis rapuit dentibus.
 12 Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor.
 13 Hac re probatur, quantum ingenium polleat ;
 14 virtute semper praevalet sapientia.

Ex Sutore Medicus

P1_15 v.1 Malus cum sutor inopia deperditus
 2 medicinam ignoto facere coepisset loco
 3 et venditaret falso antidotum nomine,
 4 verbosis adquaesivit sibi famam strophis.
 5 Hic cum jaceret morbo confectus gravi
 6 rex urbis, ejus experiendi gratia
 7 scyphum poposcit ; fusa dein simulans aqua
 8 miscere antidoto in illius se toxicum,
 9 ebibere jussit ipsum posito praemio.
 10 Timore mortis ille tum confessus est
 11 non artis ulla medicum se prudentia,
 12 verum stupore vulgi, factum nobilem.
 13 Rex advocata contione haec addidit :
 14 "Quantaeputatis esse vos dementiae,
 15 qui capita vestra non dubitatis credere
 16 cui calceandos nemo commisit pedes ? "
 17 Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
 18 quorum stultitia quaestus impudentiae est.

- Asinus ad Senem Pastorem
- P1_16 v.1 In principatu commutando saepius
2 nil praeter dominum cives mutant pauperes.
3 Id esse verum parva haec fabella indicat.
4 Asellum in prato timidus pascebat senex.
5 Is hostium clamore subito territus
6 suadebat asino fugere, ne possent capi.
7 At ille lentus : "Quaeso, num binas mihi
8 clitellas impositurum victorem putas ? "
9 Senex negavit. "Ergo, quid refert mea
10 cui serviam, clitellas dum portem unicas ? "
- Ovis Cervus et Lupus
- P1_17 v.1 Fraudator homines cum advocat sponsum improbos,
2 non rem expedire, sed malum induere expetit.
3 Ovem rogabat cervus modium tritici
4 lupo sponsore. At illa, praemetuens dolum :
5 "Rapere atque abire semper adsuevit lupo,
6 tu de conspectu fugere veloci impetu ;
7 ubi vos requiram cum dies advenerit ? "
- Ovis Canis et Lupus
- P1_18 v.1 Solent mendaces luere poenas malefici.
2 Calumniator ab ove cum peteret canis
3 quem commendasse panem se contenderet,
4 lupo citatus testis non unum modo
5 deberi dixit, verum adfirmavit decem.
6 Ovis damnata falso testimonio
7 quod non debebat solvit. Post paucos dies
8 bidens jacentem in fovea prospexit lupo :
9 "Haec" inquit "merces fraudis a superioribus datur".
- Mulier Parturiens
- P1_19 v.1 Nemo libenter recolit qui laesit locum.
2 Instante partu mulier actis mensibus
3 humi jacebat, flebilis gemitus ciens.
4 Vir est hortatus corpus lecto reciperet,
5 onus naturae melius quo deponeret.
6 "Minime" inquit "illo posse confido loco
7 malum finire quo conceptum est initium".
- Canis Parturiens
- P1_20 v.1 Habent insidias hominis blanditiae mali,
2 quas ut vitemus versus subjecti monent.
3 Canis parturiens cum rogasset alteram,
4 ut fetum in ejus tugurio deponeret
5 facile impetravit. Dein reposcenti locum
6 preces admovit, tempus exorans breve,
7 dum firmiores catulos posset ducere.
8 Hoc quoque consumpto flagitari validius
9 cubile coepit. "Si mihi et turbae meae
10 par" inquit "esse potueris, cedam loco."
- Canes Famelici
- P1_21 v.1 Stultum consilium non modo effectu caret,
2 sed ad perniciem quoque mortalis devocat.
3 Corium depressum in fluvio viderunt canes.
4 Id ut comesse extractum possent facilius,

5 aquam coepere ebibere ; sed rupti prius
6 periere quam quod petierant contingerent.

Leo Senex, Aper, Taurus et Asinus
P1_22 v.1 Quicumque amisit dignitatem pristinam,
2 ignavis etiam jocus est in casu gravi.
3 Defectus annis et desertus viribus
4 leo cum jaceret spiritum extremum trahens,
5 aper fulmineis spumans venit dentibus
6 et vindicavit ictu veterem injuriam.
7 Infestis taurus mox confodit cornibus
8 hostile corpus. Asinus, ut vidit ferum
9 impune laedi, calcibus frontem extudit.
10 At ille exspirans : "Fortis indigne tuli
11 mihi insultare ; te naturae dedecus
12 quod ferre in morte cogor, bis videor mori."

Mustela et Homo
P1_23 v.1 Mustela ab homine prensa cum instantem necem
2 effugere vellet : "Quaeso parce" inquit "mihi
3 quae tibi molestis muribus purgo domum".
4 Respondit ille : "Faceres si causa mea,
5 gratum esset ; jam dedissem veniam supplici.
6 Nunc quia laboras ut fruaris reliquiis
7 quas sunt rosuri, simul et ipsos devores,
8 noli imputare vanum beneficium mihi."
9 Atque ita locutus improbam leto dedit.
10 Hoc in se dictum debent illi agnoscere
11 quorum privata servit utilitas sibi,
12 et meritum inane jactant imprudentibus.

Canis Fidelis
P1_24 v.1 Repente liberalis stultis gratus est,
2 verum peritis inritos tendit dolos.
3 Nocturnus cum fur panem misisset cani
4 objecto temptans an cibo posset capi :
5 "Heus" inquit "linguam vis meam praecludere,
6 ne latrem pro re domini ? Multum falleris,
7 namque ista subita me jubet benignitas
8 vigilare facias ne mea culpa lucrum".

Rana Rupta et Bos
P1_25 v.1 Inops potentem dum vult imitari perit.
2 In prato quondam rana conspexit bovem
3 et tacta invidia tantae magnitudinis
4 rugosam inflavit pellem. Tum natos suos
5 interrogavit an bove esset latior.
6 Illi negarunt. Rursus intendit cutem
7 majore nisu, et simili quaesivit modo,
8 quis major esset. Illi dixerunt "bovem".
9 Novissime indignata, dum vult validius
10 inflare sese, rupto jacuit corpore.

Canes et Corcodilli
P1_26 v.1 Consilia qui dant prava cautis hominibus
2 et perdunt operam et deridentur turpiter.
3 Canes currentes bibere in Nilo flumine,
4 a corcodillis ne rapiantur, traditum est.

5 Igitur cum currens bibere coepisset canis,
 6 sic corcodillus : "Quamlibet lambe otio ;
 7 noli vereri". At ille : "Facerem mehercule,
 8 nisi esse scirem carnis te cupidum meae."

Vulpis et Ciconia

P1_27 v.1 Nulli nocendum est ; si quis vero laeserit,
 2 multandum simili jure fabella admonet.
 3 Ad cenam vulpes dicitur ciconiam
 4 prior invitasse, et levi liquidam in marmore
 5 posuisse sorbitionem, quam nullo modo
 6 gustare esuriens potuerit ciconia.
 7 Quae vulpem cum revocasset, intrito cibo
 8 plenam lagonam posuit ; huic rostrum inserens
 9 satiatur ipsa et torquet convivam fame.
 10 Quae cum lagonae collum frustra lamberet,
 11 peregrinam sic locutam volucrem accepimus :
 12 "Sua quisque exempla debet aequo animo pati".

Canis et Thesaurus et Vulturius

P1_28 v.1 Haec res avaris esse conveniens potest
 2 et qui humiles nati dici locupletes student.
 3 Humana effodiens ossa thesaurum canis
 4 invenit, et, violarat quia Manes deos
 5 injecta est illi divitiarum cupiditas,
 6 poenas ut sanctae religioni penderet.
 7 Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi
 8 fame est consumptus ; quem stans vulturius super
 9 fertur locutus : "O canis, merito jaces,
 10 qui concupisti subito regales opes
 11 trivio conceptus, educatus stercore."

Vulpis et Aquila

P1_29 v.1 Quamvis sublimes debent humiles metuere,
 2 vindicta docili quia patet sollertiae.
 3 Vulpinos catulos aquila quondam sustulit
 4 nidoque posuit, pullis escam ut carperet.
 5 Hanc prosecuta mater orare incipit
 6 ne tantum miserae luctum importaret sibi.
 7 Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.
 8 Vulpes ab ara rapuit ardentem facem
 9 totamque flammis arborem circumdedit,
 10 hosti dolorem damno minitans sanguinis.
 11 Aquila ut periculo mortis eriperet suos
 12 incolumes natos supplex vulpi tradidit.

Asinus Inridens Aprum

P1_30 v.1 Plerumque stulti risum dum captant levem,
 2 gravi destringunt alios contumelia
 3 et sibi inopinum contrahunt periculum.
 4 Asellus apro cum tulisset se obvius :
 5 "Salve" inquit "frater". Ille indignans repudiat
 6 officium et quaerit cur sic mentiri velit ?
 7 Asinus demisso pene : "Similem si negas
 8 tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo."
 9 Aper cum vellet facere generosum impetum,
 10 repressit iram, et : "Facilis vindicta est mihi,
 11 sed inquinari nolo ignavo sanguine".

Ranae Metuentes Proelia Taurorum

P1_31 v.1 Humiles laborant ubi potentes dissident.
 2 Rana e palude pugnam taurorum intuens :
 3 "Heu, quanta nobis instat perniciēs !" ait.
 4 Interrogata ab alia cur hoc diceret,
 5 de principatu cum illi certarent gregis
 6 longēque ab ipsis degerent vitam boves :
 7 "Sit statio separ ac diversum" inquit genus ;
 8 expulsus regno nemoris qui profugerit
 9 paludis in secreta veniet latibula
 10 et proculcatas obteret duro pede.
 11 Ita caput ad nostrum furor illorum pertinet."

Milvus et Columbae

P1_32 v.1 Qui se committit homini tutandum improbo,
 2 auxilia dum requirit, exitium invenit.
 3 Columbae saepe cum fugissent miluum
 4 et celeritate pinnae vitassent necem,
 5 consilium raptor vertit ad fallaciam
 6 et genus inerme tali decepit dolo :
 7 "Quare sollicitum potius aevum ducitis,
 8 quam regem me creatis icto foedere,
 9 qui vos ab omni tutas praestem injuria ? "
 10 Illae credentes tradunt sese miluo ;
 11 qui regnum adeptus coepit vesci singulas
 12 et exercere imperium saevis unguibus.
 13 Tunc de reliquis una : "Merito plectimur,
 14 huic spiritum praedoni quae commisimus".

Prologus

P2_1 v.1 Exemplis continetur Aesopi genus,
 2 nec aliud quicquam per fabellas quaeritur
 3 quam corrigatur error ut mortalium
 4 acuatur sese diligens industria.
 5 Quicumque fuerit ergo narrandi jocus,
 6 dum capiat aurem et servet propositum suum,
 7 re commendator, non auctoris nomine.
 8 Equidem omni cura morem servabo senis.
 9 Sed si libuerit aliquid interponere,
 10 dictorum sensus ut delectet varietas,
 11 bonas in partes, lector, accipias velim
 12 ita, si rependet, Illi, brevitās gratiam.
 13 Cujus verbosa ne sit commendatio,
 14 attende cur negare cupidis debeas,
 15 modestis etiam offerre quod non petierint.

Iuvenicus Leo et Praedator

P2_2 v.1 Super juvencum stabat dejectum leo.
 2 Praedator intervenit partem postulans.
 3 "Darem" inquit "nisi soleres per te sumere" ;
 4 et improbum rejecit. Forte innoxius
 5 viator est deductus in eundem locum
 6 feroque viso rettulit retro pedem.
 7 Cui placidus ille : "Non est quod timeas" ait ;
 8 "en, quae debetur pars tuae modestiae
 9 audacter tolle". Tunc diviso tergore
 10 silvas petivit homini ut accessum daret.

11 Exemplum egregium prorsus et laudabile ;
12 verum est aviditas dives et pauper pudor.

P2_3 v.1 Anus Diligens Iuvenem, Item Puella
2 A feminis utcumque spoliari viros,
3 ament, amentur, nempe exemplis discimus.
4 Aetatis mediae quendam mulier non rudis
5 tenebat annos celans elegantia,
6 animosque ejusdem pulchra juvenis ceperat.
7 Ambae videri dum volunt illi pares,
8 capillos homini legere coepere invicem.
9 Qui se putaret fingi cura mulierum,
10 calvus repente factus est ; nam funditus
canos puella, nigros anus evellerat.

P2_4 v.1 Aesopus ad Quendam de Successu Improborum
2 Laceratus quidam morsu vehementis canis
3 tinctum cruore panem misit malefico,
4 audierat esse quod remedium vulneris.
5 Tunc sic Aesopus : "Noli coram pluribus
6 hoc facere canibus, ne nos vivos devorent
7 cum scierint esse tale culpae praemium."
Successus improborum plures allicit.

P2_5 v.1 Aquila Feles et Aper
2 Aquila in sublimi quercu nidum fecerat,
3 feles, cavernam nancta in media, pepererat ;
4 sus nemoris cultrix fetum ad imam posuerat ;
5 tum fortuitum feles contubernium
6 fraude et scelesta sic evertit malitia.
7 Ad nidum scandit volucris : "Pernicies" ait
8 tibi paratur, forsitan et miserae mihi ;
9 Nam, fodere terram quod vides cotidie
10 aprum insidiosum, quercum vult evertere,
11 ut nostram in plano facile progeniem opprimat.
12 Terrore offuso et perturbatis sensibus
13 derepit ad cubile saetosae suis.
14 "Magno" inquit "in periculo sunt nati tui ;
15 nam simul exieris pastum cum tenero grege,
16 aquila est parata rapere porcellos tibi".
17 Hunc quoque timore postquam complevit locum,
18 dolosa tuto condidit sese cavo.
19 Inde evagata noctu suspensio pede,
20 ubi esca sese explevit et prolem suam,
21 pavorem simulans prospicit toto die.
22 Ruinam metuens aquila ramis desidet ;
23 aper rapinam vitans non prodit foras.
24 Quid multa ? inedia sunt consumpti cum suis
25 felique et catulis largam praebuerat dapem.
26 Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,
documentum hinc capere stulta credulitas potest.

P2_6 v.1 Tib. Caesar ad Atriensem
2 Est Ardalionum quaedam Romae natio,
3 trepide concursans, occupata in otio,
4 gratis anhelans, multa agendo nil agens,
5 sibi molesta et aliis odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possum, volo

6 vera fabella ; pretium est operae attendere.
 7 Caesar Tiberius cum petens Neapolim
 8 in Misenensem villam venisset suam,
 9 quae monte summo posita Luculli manu
 10 prospectat Siculum et respicit Tuscum mare,
 11 ex alticinctis unus atriensibus,
 12 cui tunica ab umeris linteo Pelusio
 13 erat dstricta, cirris dependentibus,
 14 perambulante laeta domino viridia,
 15 alveolo coepit ligneo conspargere
 16 humum aestuantem. Jactans officium comes
 17 ut deridetur. Inde notis flexibus
 18 praecurrit alium in xystum, sedans pulverem.
 19 Agnoscit hominem Caesar, remque intellegit.
 20 "Heus ! " Inquit dominus. Ille enimvero adsilit
 21 donationis alacer certae gaudio.
 22 Tum sic jocata est tanta majestas ducis :
 23 "Non multum egisti et opera nequiquam perit ;
 24 multo majores alapae mecum veneunt".

Aquila et Cornix

P2_7 v.1 Contra potentes nemo est munitus satis ;
 2 si vero accessit consiliator maleficus,
 3 vis et nequitia quicquid oppugnant ruit.
 4 Aquila in sublime sustulit testudinem.
 5 Quae cum abdidisset cornea corpus domo
 6 nec ullo pacto laedi posset condita,
 7 venit per auras cornix, et propter volans
 8 "Opimam sane praedam rapuisti unguibus ;
 9 sed nisi monstraro quid sit faciendum tibi,
 10 gravi nequiquam te lassabit pondere."
 11 Promissa parte suadet ut scopulum super
 12 altis ab astris duram inlidat corticem,
 13 qua comminuta facilem vescatur cibum.
 14 Inducta vaftris aquila monitis paruit,
 15 simul et magistrae large divisit dapem.
 16 Sic tuta quae Naturae fuerat munere,
 17 impar duabus occidit tristi nece.

Muli Duo et Latrones

P2_8 v.1 Muli gravati sarcinis ibant duo ;
 2 unus ferebat fiscos cum pecunia,
 3 alter tumentis multo saccos hordeo.
 4 Ille onere dives celsa it cervice eminens
 5 clarumque collo jactans tintinabulum,
 6 comes quieto sequitur et placido gradu.
 7 Subito latrones ex insidiis advolant
 8 interque caedem ferro ditem sauciant,
 9 diripiunt nummos, neglegunt vile hordeum.
 10 Spoliatus igitur casus cum fleret suos,
 11 "Equidem" inquit alter "me contemptum gaudeo ;
 12 nam nil amisi nec sum laesus vulnere."
 13 Hoc argumento tuta est hominum tenuitas ;
 14 magnae periculo sunt opes obnoxiae.

Cervus ad Boves

P2_9 v.1 Cervus nemorosis excitatus latibulis,
 2 ut venatorum effugeret instantem necem,

3 caeco timore proximam villam petit
 4 ut opportuno se ibi bovili condidit.
 5 Hic bos latenti : "Quidnam voluisti tibi,
 6 infelix ultro qui ad necem cucurreris
 7 hominumque tecto spiritum commiseris ?"
 8 At ille supplex : "Vos modo inquit "parcite
 9 spatium diei ; noctis excipient vices ;
 10 occasione rursus erumpam data."
 11 Frondem bubulcus adfert, nil adeo videt.
 12 Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
 13 nemo animadvertit ; transit etiam vilicus,
 14 nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
 15 bubus quietis agere coepit gratias,
 16 hospitium adverso quod praestiterint tempore.
 17 Respondit unus : "Salvum te cupimus quidem ;
 18 sed ille qui oculos centum habet si venerit,
 19 magno in periculo vita vertetur tua."
 20 Haec inter ipse dominus a cena redit
 21 et quia corruptos viderat nuper boves,
 22 accedit ad praesaepe : "Cur frondis parum est ?
 23 Stramenta desunt. Tollere haec aranea
 24 quantum est laboris ? " Dum scrutatur singula,
 25 cervi quoque alta conspicatur cornua ;
 26 quem convocata jubet occidi familia,
 27 praedamque tollit. Haec significat fabula
 28 dominum videre plurimum in rebus suis.

Auctor

P2_10 v.1 Aesopi ingenio statuam posuere Attici
 2 servumque collocarunt aeterna in basi,
 3 patere honoris scirent ut cuncti viam
 4 nec generi tribui, sed virtuti gloriam.
 5 Quoniam occuparat, alter ut primus foret,
 6 ne solus ille studui, quod superfuit ;
 7 nec haec invidia, verum est aemulatio.
 8 Quodsi labori faverit Latium meo,
 9 plures habebit quos opponat Graeciae.
 10 Si Livor obtrectare curam voluerit,
 11 non tamen eripiet laudis conscientiam.
 12 Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,
 13 et arte fictas animus sentit fabulas,
 14 omnem querelam submovet felicitas.
 15 Sin autem rabulis doctus occurrit labor,
 16 sinistra quos in lucem natura extulit,
 17 nec quidquam possunt nisi meliores carpere,
 18 fatale exilium corde durato feram
 19 donec Fortunam criminis pudeat sui.

Prologus

P3_1 v.1 Phaedri libellos legere si desideras,
 2 vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
 3 ut liber animus sentiat vim carminis.
 4 "Verum" inquis "tanti non est ingenium tuum
 5 momentum ut horae pereat officiis meis."
 6 Non ergo causa est manibus id tangi tuis,
 7 quod occupatis auribus non convenit.
 8 Fortasse dices : "Aliquae venient feriae,
 9 quae me soluto pectore ad studium vocent."

10 Legesne, quaeso, potius viles nenias,
 11 impendas curam quam rei domesticae,
 12 reddas amicis tempora uxori vaces,
 13 animum relaxes otium des corpori,
 14 ut adsuetam fortius praestes vicem ?
 15 Mutandum tibi propositum est ; ut vitae genus
 16 intrare si Musarum limen cogites.
 17 Ego quem Pierio mater enixa est jugo,
 18 in quo Tonanti sancta Mnemosyne Jovi
 19 fecunda novies, artium peperit chorum,
 20 quamvis in ipsa paene natus sim schola
 21 curamque habendi penitus corde eraserim
 22 at laude in vitam hanc aut invita incubuerim,
 23 fastidiose tamen in coetum recipior.
 24 Quid credis illi accidere qui magnas opes
 25 exaggerare quaerit omni vigilia,
 26 docto labori dulce praeponens lucrum ?
 27 Sed jam quodcumque fuerit, ut dixit Sinon
 28 ad regem cum Dardaniae perductus foret,
 29 librum exarabo tertium Aesopi stilo
 30 honori et meritis dedicans illum tuis.
 31 Quem si leges, laetabor ; sin autem minus,
 32 habebunt certe quo se oblectent posterii.
 33 Nunc, fabularum cur sit inventum genus
 34 brevi docebo. Servitus obnoxia,
 35 quia quae volebat non audebat dicere,
 36 affectus proprios in fabellas transtulit
 37 calumniamque fictis elusit jocis.
 38 Ego, Illi, porro semitam, feci viam ;
 39 excogitavi plura quam reliquerat,
 40 in calamitatem deligens quaedam meam.
 41 Quodsi accusator alius Sejano foret,
 42 si testis alius, iudex alius denique,
 43 dignum faterer esse me tantis malis
 44 nec his dolorem delenirem remediis.
 45 Suspicione si quis errabit sua
 46 et rapiet ad se quod erit commune omnium,
 47 stulte nudabit animi conscientiam,
 48 huic excusatum me velim nihilo minus ;
 49 neque enim notare singulos mens est mihi,
 50 verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.
 51 Rem me professum dicet fors aliquis gravem.
 52 Si Phryx Aesopus potuit, si Anacharsis Scythes
 53 aeternam famam condere ingenio suis,
 54 ego litteratae qui sum propior Graeciae
 55 cur somno inertii deseram patriae decus,
 56 Threissa cum gens numeret auctores deos,
 57 Linoque Apollo sit parens, Musa Orptheo,
 58 qui saxa cantu movit et domuit feras
 59 Hebrique tenuit impetus dulci mora ?
 60 Ergo hinc abesto, Livor, ne frustra gemas
 61 quom jam mihi sollempnis dabitur gloria.
 62 Induxi te ad legendum ; sincerum mihi
 63 candore noto reddas iudicium peto.

Anus ad Amphoram

P3_2 v.1 Anus jacere vidit epotam amphoram,
 2 adhuc Falerna faece e testa nobili

3 odorem quae jucundum late spargeret.
 4 Hunc postquam totis avida traxit naribus :
 5 "O suavis anima, quale in te dicam bonum
 6 antehac fuisse, tales cum sint reliquiae ! "
 7 Hoc quo pertineat dicet qui me noverit.

Panthera et Pastores

P3_3 v.1 Solet a despectis par referri gratia.
 2 Panthera inprudens olim in foveam decidit.
 3 Videre agrestes ; alii fustes congerunt,
 4 alii onerant saxis ; quidam contra miseriti
 5 periturae quippe, quamvis nemo laederet,
 6 misere panem ut sustineret spiritum.
 7 Nox insecuta est ; abeunt securi domum,
 8 quasi inventuri mortuam postridie.
 9 At illa, vires ut refecit languidas,
 10 veloci saltu fovea sese liberat
 11 et in cubile concito properat gradu.
 12 Paucis diebus interpositis provolat,
 13 pecus trucidat, ipsos pastores necat,
 14 et cuncta vastans saevit irato impetu.
 15 Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant
 16 damnum haut recusant, tantum pro vita rogant.
 17 At illa : "Memini quis me saxo petierit,
 18 quis panem dederit ; vos timere absistite ;
 19 illis revertor hostis qui me laeserunt."

Aesopus et Rusticus

P3_4 v.1 Usu peritus hariolo veracior
 2 vulgo perhibetur ; causa sed non dicitur,
 3 notescet quae nunc primum fabella mea.
 4 Habenti cuidam pecora perpererunt oves
 5 agnos humano capite. Monstro territus
 6 ad consulendos currit maerens hariolos.
 7 Hic pertinere ad domini respondet caput,
 8 et avertendum victima periculum.
 9 Ille autem adfirmat conjugem esse adulteram
 10 et insitivos significari liberos,
 11 sed expiari posse majore hostia.
 12 Quid multa ? Variis dissident sententiis
 13 hominisque curam cura majore adgravant.
 14 Aesopus ibi stans, naris emunctae senex,
 15 natura numquam verba cui potuit dare,
 16 "Si procurare vis ostentum, rustice,
 17 uxores" inquit "da tuis pastoribus."

Lanius et Simius

P3_5 v.1 Pendere ad lanium quidam vidit simium
 2 inter relicuas merces atque opsonia ;
 3 quaesivit quidnam saperet. Tum lanius jocans
 4 "Quale" inquit "caput est, talis praestatur sapor."
 5 Ridicule magis hoc dictum quam vere aestimo ;
 6 quando ut formosos saepe inveni pessimos,
 7 ita turpi facie multos cognovi optimos.

Aesopus et Petulans

P3_6 v.1 Successus ad perniciem multos devocat.
 2 Aesopo quidam petulans lapidem impegerat.

3 "Tanto" inquit "melior ! " Assem deinde illi dedit,
 4 sic prosecutus : "Plus non habeo mehercule,
 5 sed unde accipere possis monstrabo tibi ;
 6 venit ecce, dives et potens ; huic similiter
 7 impinge lapidem, et dignum accipies praemium."
 8 Persuusus ille fecit quod monitus fuit ;
 9 sed spes fefellit impudentem audaciam ;
 10 comprehensus namque poenas persolvit cruce.

Musca et Mula

P3_7 v.1 Musca in temone sedit et mulam increpans :
 2 "Quam tarda es ! " inquit "non vis citius progredi ?
 3 Vide ne dolone collum conpungam tibi."
 4 Respondit illa : "Verbis non moveor tuis ;
 5 magistrum timeo sella qui prima sedens
 6 tergum flagello temperat lento meum
 7 et ora frenis continet spumantibus.
 8 Quapropter aufer frivolum insolentiam ;
 9 ubi non tricandum est ultro currendum scio."
 10 Hac derideri fabula merito potest
 11 qui sine virtute vanas exercet minas.

Lupus ad Canem

P3_8 v.1 Quam dulcis sit libertas breviter proloquar.
 2 Cani perpasto macie confectus lupus
 3 forte occurrit. Dein salutati invicem
 4 ut restiterunt : " Unde sic, quaeso, nites ?
 5 aut quo cibo fecisti tantum corporis ?
 6 Ego, qui sum longe fortior, pereor fame."
 7 Canis simpliciter : "Eadem est condicio tibi,
 8 praestare domino si par officium potes."
 9 "Quod ? " inquit ille. "Custos ut sis liminis ;
 10 a furibus tuearis ei noctu domum."
 11 "Ego vero sum paratus : nunc patior nives
 12 imbresque in silvis asperam vitam trahens ;
 13 quanto est facilius mihi sub tecto vivere
 14 et otiosum largo satiari cibo ? "
 15 "Veni ergo mecum." Dum procedunt, aspicit
 16 lupus a catena collum detritum cani.
 17 "Unde hoc, amice ? " "Nihil est." "Dic, sodes, tamen."
 18 "Quia videor acer, alligant me interdum,
 19 luce ut quiescam, et vigilem nox cum venerit ;
 20 crepusculo solutus qua visum est vagor.
 21 Adfertur ultro panis ; de mensa sua
 22 dat ossa dominus ; frustra jactant familia
 23 et, quod fastidit quisque, pulmentarium.
 24 Sic sine labore venter impletur meus."
 25 "Age ; si qua est animus, est an non licentia ? "
 26 "Non plane est" inquit. "Fruere quae laudas, canis ;
 27 regnare nolo, liber ut non sim mihi."

Soror ad Fratrem

P3_9 v.1 Praecepto monitus saepe te considera.
 2 Habebat quidam filiam turpissimam
 3 idemque insignem facie pulchra filium.
 4 Hi speculum, in cathedra matris ut positum fuit,
 5 pueriliter ludentes forte inspexerunt.
 6 Hic se formosum jactat ; illa irascitur

7 nec glorientis sustinet fratris jocos,
 8 accipiens, quid enim, cuncta in contumeliam.
 9 Ergo ad patrem decurrit laesura invicem
 10 magnaue invidia criminatur futtilem
 11 vir natus quod rem feminarum tetigerit.
 12 Amplexus ille utrumque et carpens oscula
 13 dulcemque in ambos caritatem partiens :
 14 "Cotidie" inquit "speculo vos uti volo,
 15 tu formam ne corrumpas nequitiae malis,
 16 tu faciem ut istam moribus vincas bonis."

Socrates ad Amicos

P3_10 v.1 Vulgare amici nomen sed rara est fides.
 2 Cum parvas aedes sibi fundasset Socrates
 3 (cujus non fugio mortem si famam adsequar,
 4 et cedo invidiae dummodo absolvar cinis),
 5 ex populo sic nescio quis, ut fieri solet :
 6 "Quaeso, tam angustam talis vir ponis domum ? "
 7 "Utinam" inquit "veris hanc amicis impleam ! "

Poeta de Credere et non Credere

P3_11 v.1 Periculosum est credere et non credere.
 2 Utriusque exemplum breviter adponam rei.
 3 Hippolytus obiit, quia novercae creditum est ;
 4 Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.
 5 Ergo exploranda est veritas multum prius
 6 quam stulte prava judicet sententia.
 7 Sed fabulosa ne vetustas elevet,
 8 narrabo tibi memoria quod factum est mea.
 9 Maritus quidam cum diligeret conjugem
 10 togamque puram jam pararet filio,
 11 seductus in secretum a liberto est suo,
 12 sperante heredem suffici se proximum.
 13 Qui, cum de puero multa mentitus foret
 14 et plura de flagitiis castae mulieris,
 15 adjecit id quod sentiebat maxime
 16 doliturum amanti, ventitare adulterum
 17 stuproque turpi pollui famam domus.
 18 Incensus ille falso uxoris crimine
 19 simulavit iter ad villam, clamque in oppido
 20 subsedit ; deinde noctu subito januam
 21 intravit, recta cubiculum uxoris petens,
 22 in quo dormire mater natum jusserat
 23 aetatem adultam servans diligentius.
 24 Dum quaerunt lumen, dum concursant familia,
 25 irae furentis impetum non sustinens
 26 ad lectum vadit, temptat in tenebris caput.
 27 Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit,
 28 nihil introspicens, dum dolorem vindicet.
 29 Lucerna adlata, simul adspexit filium
 30 sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
 31 sopita primo quae nil somno senserat,
 32 repraesentavit in se poenam facinoris
 33 et ferro incubuit quod credulitas strinxerat.
 34 Accusatores postularunt mulierem
 35 Romamque pertraxerunt ad centumviros.
 36 Maligna insontem deprimit suspicio,
 37 quod bona possidit. Stant patroni fortiter

38 causam tuentes innocentis feminae.
 39 A divo Augusto tum petierunt iudices
 40 ut adjuvaret juris jurandi fidem,
 41 quod ipsos error implicuisset criminis.
 42 Qui postquam tenebras dispulit calumniae
 43 certumque fontem veritatis repperit ;
 44 "Luat" inquit "poenas causa libertus mali ;
 45 namque orbam nato simul et privatum viro
 46 miserandam potius quam damnandam existimo.
 47 Quod si delata perscrutatus crimina
 48 pater familias esset si, mendacium
 49 subtiliter limasset, a radicibus
 50 non evertisset scelere funesto domum."
 51 Nil spernat auris, nec tamen credat statim,
 52 quandoquidem et illi peccant quos minime putes,
 53 et qui non peccant impugnantur fraudibus.
 54 Hoc admonere simplices etiam potest,
 55 opinione alterius ne quid ponderent ;
 56 Ambitio namque dissidens mortalium
 57 aut gratiae subscribit aut odio suo ;
 58 erit ille notus quem per te congnoveris.
 59 Haec exsecutus sum propterea pluribus,
 60 brevitatem nimiam quoniam quosdam offendimus.

Eunuchus ad Improbum

P3_12 v.1 Eunuchus litigabat cum quodam improbo ;
 2 qui super obscena dicta et petulans jurgium
 3 damnum insectatus est amissi corporis.
 4 "En" ait "hoc unum est cur laborem validius,
 5 integritatis testes quia desunt mihi.
 6 Sed quid Fortunae, stulte, delictum arguis ?
 7 Id demum est homini turpe quod meruit pati."

Pullus ad Margaritam

P3_13 v.1 In sterculino pullus gallinacius
 2 dum quaerit escam margaritam repperit.
 3 "Jaces indigno quanta res" inquit "loco !
 4 Hoc si quis pretii cupidus vidisset tui,
 5 olim redisses ad splendorem pristinum.
 6 Ego cur te inveni, potior cui multo est cibus ?
 7 Nec tibi prodesse nec mihi id quicquam potis."
 8 Hoc illis narro qui me non intellegunt.

Apes et Fuci Vespa Iudice

P3_14 v.1 Apes in alta fecerant quercu favos ;
 2 hos fuci inertes esse dicebant suos.
 3 Lis ad forum deducta est, vespa iudice.
 4 Quae genus utrumque nosset cum pulcherrime,
 5 legem duabus hanc proposuit partibus :
 6 "Non inconueniens corpus et par est color,
 7 in dubium plane res ut merito venerit.
 8 Sed ne religio peccet imprudens mea,
 9 alvos accipite et ceris opus infundite,
 10 ut ex sapore mellis et forma favi,
 11 de quis nunc agitur, auctor horum appareat."
 12 Fuci recusant, apibus condicio placet.
 13 Tunc illa talem rettulit sententiam :
 14 "Apertum est quis non possit aut consueverit,

15 quapropter apibus fructum restituo suum."
 16 Hanc praeterissem fabulam silentio,
 17 si pactam fuci non recusassent fidem.

De Lusu et Seueritate

P3_15 v.1 Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
 2 Aesopum nucibus cum vidisset, restitit,
 3 et quasi delirum risit. Quod sensit simul
 4 derisor potius quam deridendus senex,
 5 arcum retensum posuit in media via ;
 6 "Heus" inquit "sapiens, expedi cur fecerim."
 7 Concurrit populus. Ille se torquet diu
 8 nec quaestionis positae causam intellegit.
 9 Novissime succumbit. Tum victor sophos :
 10 "Cito rumpes arcum, semper se tensum habueris ;
 11 at si laxaris, cum voles erit utilis.
 12 Sic lusus animo debent aliquando dari,
 13 ad cogitandum melior ut redeat tibi."

Canis ad Agnum

P3_16 v.1 Inter capellas agno palanti canis :
 2 "Stulte" inquit "erras ; non est hic mater tua" ;
 3 ovesque segregatas ostendit procul.
 4 "Non illam quaero quae cum libitum est concipit,
 5 dein portat onus ignotum certis mensibus,
 6 novissime prolapsam effundit sarcinam ;
 7 verum illam quae me nutrit admoto ubere,
 8 fraudatque natos lacte ne desit mihi."
 9 "Tamen illa est potior quae te peperit." "Non ita est.
 10 idne illa scivit niger an albus nascerer ?
 11 Age porro : parere si voluisset feminam,
 12 quid profecisset, cum crearer masculus ?
 13 Beneficium sane magnum natali dedit,
 14 ut expectarem lanium in horas singulas !
 15 Cujus potestas nulla in gignendo fuit,
 16 cur hac sit potior, quae jacentis miserita est
 17 dulcemque sponte praestat benevolentiam ?
 18 Facit parentes bonitas, non necessitas."
 19 His demonstrare voluit auctor versibus
 20 obsistere homines legibus, meritis capi.

Cicada et Noctua

P3_17 v.1 Humanitati qui se non accommodat
 2 plerumque poenas oppetit superbiae.
 3 Cicada acerbum noctuae convicium
 4 faciebat, solitae victum in tenebris quaerere
 5 cavoque ramo capere somnum interdiu.
 6 Rogata est ut taceret ; multo validius
 7 clamare coepit. Rursus admota prece
 8 accensa magis est. Noctua ut vidit sibi
 9 nullum esse auxilium et verba contemni inrita,
 10 hac est adgressa garrulam fallacia :
 11 "Dormire quia me non sinunt cantus tui,
 12 sonos e cithara quos putes Apollinis,
 13 potare est animus nectar, quod Pallas mihi
 14 nuper donavit ; si non fastidis, veni ;
 15 una bibamus." Illa, quae arebat siti,
 16 simul cognovit vocem laudari suam,

17 cupide advolavit. Noctua, obsepto cavo,
18 trepidantem consecrata est et leto dedit.
19 Sic, viva quod negarat, tribuit mortua.

Arbores in Deorum Tutela

P3_18 v.1 Olim quas vellent esse in tutela sua
2 dii ut legerunt arbores, quercus Jovi,
3 at myrtos Veneri placuit ; Phoebo laurea,
4 pinus Cybebe, populus celsa Herculi.
5 Minerva admirans quare steriles sumerent
6 interrogavit. Causam dixit Juppiter :
7 "Honorem fructu ne videamur vendere."
8 "At mehercules narrabit quod quis voluerit,
9 oliva nobis propter fructum est gratior."
10 Tum sic deorum genitor atque hominum sator :
11 "O nata, merito sapiens dicere omnibus.
12 Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria."
13 Nihil agere quod non prosit fabella admonet.

Pavo ad Iunonem de uoce sua

P3_19 v.1 Pavo ad Junonem venit, indigne ferens
2 cantus luscini quod sibi no tribuerit ;
3 illum esse cunctis avibus admirabilem,
4 se derideri simul ac vocem miserit.
5 Tunc consolandi gratia dixit dea :
6 "Sed forma vincis, vincis magnitudine ;
7 nitor smaragdi collo praefulget tuo,
8 pictisque plumis gemmeam caudam explicas."
9 "Quo mi" inquit "mutam speciem si vincor sono ? "
10 "Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae ;
11 tibi forma, vires aquilae, luscini melos ;
12 augurium corvo, laeva cornici omina ;
13 omnesque propriis sunt contentae dotibus.
14 Noli adfectare quod tibi non est datum,
15 delusa ne spes ad querelam reccidat."

Aesopus Respondet Garrulo

P3_20 v.1 Aesopus domino solus cum esset familia,
2 parare cenam jussus est maturius.
3 Ignem ergo quaerens aliquot lustravit domus,
4 tandemque invenit ubi lacernam accenderet.
5 Tum circumeunti fuerat quod iter longius
6 effecit brevius : namque recta per forum
7 coepit redire. Et quidam e turba garrulus :
8 "Aesope, medio sole quid tu lumine ? "
9 "Hominem" inquit "quaero", et abiit festinans domum.
10 Hoc si molestus ille ad animum rettulit,
11 sensit profecto se hominem non visum seni,
12 intempestive qui occupato adluserit.

Epilogus

P3_21 v.1 Supersunt mihi quae scribam, sed parco sciens ;
2 primum Eutyche videar ne tibi molestior,
3 distringit quem multarum rerum varietas ;
4 dein, si quis eadem forte conari velit,
5 habere ut possit aliquid operis residui ;
6 quamvis materiae tanta abundet copia
7 labori faber ut desit, non fabro labor.

8 Brevitati nostrae praemium ut reddas peto
 9 quod es pollicitus ; exhibe vocis fidem.
 10 Nam vita morti propior est cotidie,
 11 et hoc minus redibit ad me muneris
 12 quo plus consumet temporis dilatio.
 13 Si cito rem perages, usus fiet longior ;
 14 fruam diutius, si celerius coepero.
 15 Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,
 16 auxilio locus est ; olim senio debilem
 17 frustra adjuvare bonitas nitetur tua,
 18 cum jam desierit esse beneficium utile
 19 et Mors vicina flagitabit debitum.
 20 Stultum admovere tibi preces existimo.
 21 Tuae sunt partes ; fuerunt aliorum prius ;
 22 dein simili gyro venient aliorum vices.
 23 Decernere quod religio, quod patitur fides,
 24 et graviter me tutare iudicio tuo.
 25 Proclivis ultro cum sit misericordia,
 26 saepe impetravit veniam confessus reus ;
 27 quanto innocenti justius debet dari ?
 28 Excedit animus quem proposui terminum ;
 29 sed difficulter continetur spiritus,
 30 integritatis qui sinceram conscius
 31 a noxiorum premitur insolentiis.
 32 Qui sint, requiris ; apparebunt tempore.
 33 Ego quondam legi quam puer sententiam
 34 "Palam muttire plebeio piaculum est",
 35 dum sanitas constabit pulchre meminero.

Prologus. Poeta ad Particulonem

P4_1 v.1 Cum destinassem terminum operi statuere,
 2 in hoc, ut aliis esset materiae satis,
 3 consilium tacito corde damnavi meum.
 4 Nam si quis talis etiam studii est particeps.
 5 Quo pacto divinabit quidnam omiserim ?
 6 An alii it ipsum cupiant famae tradere,
 7 sua cuique cum sit animi concitatio
 8 calorque privos ? Ergo non levitas mihi,
 9 sed certa ratio causam scribendi dedit.
 10 Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis
 11 (quas Aesopias, non Aesopi, nomino,
 12 quia paucas ille ostendit, ego plures fero,
 13 usus vetusto genere, sed rebus novis),
 14 quartum libellum, cum vacarit, perleges.
 15 Hunc obtrectare si volet malignitas,
 16 imitari dum non possit, obtrectet licet.
 17 Mihi parta laus est quod tu, quod similes tui
 18 vestras in chartas verba transfertis mea,
 19 digna ut quae longa iudicetis memoria ;
 20 inlitteratum plausum non desidero.

Asinus et Galli

P4_2 v.1 Qui natus est infelix non vitam modo
 2 tristem decurrit, verum post obitum quoque
 3 persequitur illum dura fati miseria.
 4 Galli Cybebes circum in quaestus ducere
 5 asinum solebant, bajulantem sarcinas.
 6 Is cum labore et plagis esset mortuus,

7 detracta pelle sibi fecerunt tympana.
 8 Rogati mox a quodam, delicio suo
 9 quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo :
 10 "Putabat se post mortem securum fore ;
 11 ecce aliae plagae congeruntur mortuo. "

Poeta

P4_3 v.1 Joculari tibi videmur, et sane levi,
 2 dum nihil habemus majus, calamo ludimus ;
 3 sed diligenter intuere has nenias ;
 4 quantam sub titulis utilitatem reperiēs !
 5 Non semper ea sunt quae videntur dispici ;
 6 frons prima multos, rara mens intellegit
 7 quod interiore condidit cura angulo.
 8 Hoc ne locutus sine mercede existimer,
 9 fabellam adiciam de mustela et muribus.
 10 Mustela cum annis et senecta debilis
 11 mures veloces non valeret jam adsequi,
 12 involvit se farina et obscuro loco
 13 abjecit neglegenter. Mus escam putans
 14 adsiluit et comprehensus occubuit neci ;
 15 alter similiter, deinde perit et tertius.
 16 Post aliquot venit saeculis retorridus
 17 qui saepe laqueos et muscipula effugerat ;
 18 proculque insidias cernens hostis callidi :
 19 "Sic valeas," inquit, "ut farina es quae jaces ! "

De Vulpe et Vua

P4_4 v.1 Fame coacta vulpes alta in vinea
 2 uvam adpetebat summis saliens viribus ;
 3 Quam tangere ut non potuit, discedens ait :
 4 "Nondum matura es ; nolo acerbam sumere."
 5 Qui, facere quae non possunt, verbis elevant,
 6 adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

Equus et Aper

P4_5 v.1 Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
 2 dum sese aper volutat turbavit vadum.
 3 Hinc orta lis est. Sonipes, iratus fero,
 4 auxilium petiit hominis ; quem dorso levans
 5 rediit ad hostem laetus. Hunc telis eques
 6 postquam interfecit, sic locutus traditur :
 7 "Laetor tulisse auxilium me precibus tuis,
 8 nam praedam cepi et didici quam sis utilis."
 9 Atque ita coegit frenos invitum pati.
 10 Tum maestus ille : "Parvae vindictam rei
 11 dum quaero demens, servitutem repperi."
 12 Haec iracundos admonebit fabula
 13 inpune potius laedi quam dedi alteri.

Poeta

P4_6 v.1 Plus esse in uno saepe quam in turba boni,
 2 narratione posteris tradam brevi.
 3 Quidam decedens tres reliquit filias,
 4 unam formosam et oculis venantem viros,
 5 at alteram lanificam et frugi rusticam,
 6 devotam vino tertiam et turpissimam.
 7 Harum autem matrem fecit heredem senex

8 sub condicione totam ut fortunam tribus
 9 aequaliter distribuatur, sed tali modo :
 10 "Ni data possideant aut fruuntur" ; tum "simul
 11 habere res desierint quas acceperint,
 12 centena matri conferant sestertia."
 13 Athenas rumor implet. Mater sedula
 14 juris peritos consulit ; nemo expedit
 15 quo pacto "ni possideant" quod fuerit datum,
 16 fructumve capiant ; deinde quae tulerint nihil
 17 quanquam ratione conferant pecuniam.
 18 Postquam consumpta est temporis longi mora
 19 nec testamenti potuit sensus colligi,
 20 fidem advocavit jure neglecto parens.
 21 Seponit moechae vestem, mundum muliebrem,
 22 lavationem argenteam, eunuchos glabros ;
 23 lanificae agellos, pecora, villam, operarios,
 24 boves, jumenta et instrumentum rusticum ;
 25 potrici plenam antiquis apothecam cadis,
 26 domum politam et delicatos hortulos.
 27 Sic destinata dare cum vellet singulis
 28 et adprobaret populus, qui illas noverat,
 29 Aesopus media subito in turba constitit :
 30 "O si maneret condito sensus patri,
 31 quam graviter ferret quod voluntatem suam
 32 interpretari non potuissent Attici ! "
 33 Rogatus deinde solvit errorem omnium :
 34 "Domum et ornamenta cum venustis hortulis
 35 et vina vetera date lanificae rusticae ;
 36 vestem, uniones, pedisequos et cetera
 37 illi adsignate vitam quae luxu trahit ;
 38 agros et villam et pecora cum pastoribus
 39 donate moechae. Nulla poterit perpeti
 40 ut moribus quid teneat alienum suis.
 41 Deformis cultum vendet ut vinum paret ;
 42 agros abiciet moecha ut ornatum occupet ;
 43 at illa gaudens pecore et lanae dedita
 44 quacumque summa tradet luxuriae domum.
 45 Sic nulla possidebit quod fuerit datum,
 46 et dictam matri conferent pecuniam
 47 ex pretio rerum quas vendiderint singulae."
 48 Ita quod multorum fugit imprudentiam
 49 unius hominis repperit sollertia.

Pugna Murium et Mustelarum

P4_7 v.1 Cum victi mures mustelarum exercitum,
 2 historia cujus in tabernis pingitur,
 3 fugerent et artos circum trepidarent cavos,
 4 aegre recepti, tamen evaserunt necem.
 5 Duces eorum, qui capitibus cornua
 6 suis ligarant, ut conspicuum in proelio
 7 haberent signum quod sequerentur milites,
 8 haesere in portis suntque capti ab hostibus ;
 9 quos immolatos victor avidis dentibus
 10 capacis alvi mersit tartareo specu.
 11 Quemcumque populum tristis eventus premit,
 12 periclitatur magnitudo principum ;
 13 minuta plebes facili praesidio latet.

Phaedrus

P4_8 v.1 Tu qui, nasute, scripta destringis mea
 2 et hoc jocorum legere fastidis genus,
 3 parva libellum sustine patientia,
 4 severitatem frontis dum placo tuae,
 5 et in coturnis prodit Aesopus novis.
 6 Utinam nec umquam Pelii in nemoris jugo
 7 pinus bipenni concidisset Thessala,
 8 nec ad professae mortis audacem viam
 9 fabricasset Argus opere Palladio ratem,
 10 inhospitalis prima quae Ponti sinus
 11 patefecit in perniciem Graium et Barbarum !
 12 Namque et superbi luget Aetae domus,
 13 et regna Peliae scelere Medae jacent,
 14 quae saevum ingenium variis involvens modis
 15 illinc per artus fratris explicuit fugam,
 16 hic caede patris Peliadum infecit manus.
 17 Quid tibi videtur ? "Hoc quoque insulsum est", ait
 18 "falsoque dictum ; longe quia vetustior,
 19 justi qui vindicavit exemplum imperi,
 20 Aegaea Minos classe perdomuit freta."
 21 Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
 22 si nec fabellae te juvant nec fabulae ?
 23 Noli molestus esse omnino litteris,
 24 majore exhibeant ne tibi molestiam.
 25 Hoc illis dictum qui stultitia nausiant
 26 et ut putentur sapere caelum vituperant.

Serpens ad Fabrum Ferrarium

P4_9 v.1 Mordaciorem qui improbo dente adpetit
 2 hoc argumento se describi sentiat.
 3 In officinam fabri venit vipera.
 4 Haec cum temptaret si qua res esset cibi,
 5 limam momordit. Illa contra contumax :
 6 "Quid me," inquit, "stulta, dente captas laedere
 7 omne adsuevi ferrum quae conrodere ? "

Vulpis et Caper

P4_10 v.1 Homo in periculum simul ac venit callidus,
 2 reperire effugium quaerit alterius malo.
 3 Cum decidisset vulpes in puteum inscia
 4 et altiore clauderetur margine,
 5 devenit hircus sitiens in eundem locum ;
 6 simus rogavit esset an dulcis liquor
 7 et copiosus. Illa fraudem moliens :
 8 "Descende, amice ; tanta bonitas est aquae
 9 voluptas ut satiari non possit mea."
 10 Immisit se barbatus. Tum vulpecula
 11 evasit puteo, nixa celsis cornibus,
 12 hircumque clauso liquit haerentem vado.

De Vitiis Hominum

P4_11 v.1 Peras imposuit Juppiter nobis duas ;
 2 propriis repletam vitiis post tergum dedit,
 3 alienis ante pectus suspendit gravem.
 4 Hac re videre nostra mala non possumus ;
 5 alii simul delinquunt, censores sumus.

Fur et Lucerna

P4_12 v.1 Lucernam fur accendit ex ara Jovis
 2 ipsumque compilavit ad lumen suum.
 3 Onustus qui sacrilegio cum discederet,
 4 repente vocem sancta misit Religio :
 5 "Malorum quamvis ista fuerint munera
 6 mihi que invisae, ut non offendar subripi,
 7 tamen, sceleste, spiritu culpam lues
 8 olim cum adscriptus venerit poenae dies.
 9 Sed ne ignis noster facinori praeluceat,
 10 per quem verendos excolit pietas deos,
 11 veto esse tale luminis commercium."
 12 Itaque hodie nec lucernam de flamma deum
 13 nec de lucerna fas est accendi sacrum.
 14 Quot res contineat hoc argumentum utiles
 15 non explicabit alius quam qui repperit.
 16 Significat primum saepe quos ipse alueris
 17 tibi inveniri maxime contrarios ;
 18 secundum ostendit scelera non ira deum,
 19 Fatorum dicto sed puniri tempore ;
 20 novissime interdicit ne cum malefico
 21 usum bonus consociet ullius rei.

Malas Esse Diuitias

P4_13 v.1 Opes invisae merito sunt forti viro,
 2 quia dives arca veram laudem intercipit.
 3 Caelo receptus propter virtutem Hercules
 4 cum gratulantes persalutasset deos,
 5 veniente Pluto, qui Fortunae est filius,
 6 avertit oculos. Causam quaesivit Pater.
 7 "Odi" inquit "illum quia malis amicus est
 8 simulque objecto cuncta corrumpit lucro."

De Leone regnante

P4_14 v.1 Utilius homini nil est quam recte loqui.
 2 Probanda cunctis est quidem sententia,
 3 sed ad perniciem solet agi sinceritas,
 4 [Lacune]

De Leone Regnante et simia

P4_15 v.1 Tacere [ubi] tormentum, par poena est loqui.
 2 Cum se ferarum regem fecisset leo
 3 et aequitatis vellet famam consequi,
 4 a pristina deflexit consuetudine,
 5 atque inter illas tenui contentus cibo
 6 sancta incorrupta jura reddebat fide.
 7 Postquam labare coepit paenitentia,
 8 [Lacune]

Prometheus

P4_16 v.1 [Lacune]
 2 tum materia eadem usus formavit recens
 3 a fictione veretri linguam mulieris.
 4 Adfinitatem traxit inde obscenitas.

Idem

P4_17 v.1 Rogavit alter tribadas et molles mares
 2 quae ratio procreasset. Exposuit senex :

3 "Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis
 4 qui simul offendit ad fortunam frangitur,
 5 naturae partes veste quas celat pudor
 6 cum separatim toto finxisset die
 7 aptare mox ut posset corporibus suis,
 8 ad cenam est invitatus subito a Libero,
 9 ubi inrigatus multo venas nectare
 10 sero domum est reversus titubanti pede.
 11 Tum semisomno corde et errore ebrio
 12 adplicuit virginale generi masculino
 13 et masculina membra adposuit feminis.
 14 Ita nunc libido pravo fruitur gaudio."

De Capris Barbatis

P4_18 v.1 Barbam capellae cum impetrassent ab Jove,
 2 hirci maerentes indignari coeperunt
 3 quod dignitatem feminae aequassent suam.
 4 "Sinite," inquit, "illas gloria vana frui
 5 et usurpare vestri ornatum muneris,
 6 pares dum non sint vestrae fortitudine."
 7 Hoc argumentum monet ut sustineas tibi
 8 habitu esse similes qui sunt virtute impares.

De Fortunis Hominum

P4_19 v.1 Cum de fortunis quidam quereretur suis,
 2 Aesopus finxit consolandi hoc gratia :
 3 "Vexata saevis navis tempestatibus,
 4 inter vectorum lacrimas et mortis metum
 5 faciem ad serenam ut subito mutatur dies,
 6 ferri secundis tuta coepit flatibus
 7 nimiaque nautas hilaritate extollere.
 8 Factus periclis sic gubernator sophos :
 9 "Parce gaudere oportet et sensim queri,
 10 totam quia vitam miscet dolor et gaudium."

Canes Legatos Miserunt ad Iouem

P4_20 v.1 Canes legatos olim misere ad Jovem
 2 meliora vitae tempora oratum suae ;
 3 ut sese eriperet hominum contumeliis,
 4 furfuribus sibi consparsum quod panem darent
 5 fimoque turpi maxime explerent famem.
 6 Profecti sunt legati non celeri pede ;
 7 dum naribus scrutantur escam in stercore,
 8 citati non respondent. Vix tandem invenit
 9 eos Mercurius et turbatos adtrahit.
 10 Tum vero vultum magni ut viderunt Jovis,
 11 totam timentes concacarunt regiam.
 12 Propulsi vero fustibus vadunt foras.
 13 Vetat dimitti magnus illos Juppiter.
 14 Mirari cives igitur non revertier ;
 15 post aliquod tempus alios adscribi jubent,
 16 turpe aestimantes aliquid commissum ab suis.
 17 Rumor cacatus superiores prodidit.
 18 Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
 19 odore cunctis anum semiusto replent,
 20 mandant dimitti ut curent et redeant statim.
 21 Abeunt rogantes ; aditum continuo impetrant.
 22 Considit genitor tum deorum maximus

23 quassatque fulmen ; tremere coepere omnia.
 24 Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,
 25 repente, odore mixto cum merdis, cacant.
 26 Di clamant omnes vindicandam injuriam.
 27 Sic est locutus antipoenon Juppiter :
 28 "Non est difficile poenas culpae imponere ;
 29 sed hoc feretis pro turibulo praemium :
 30 nec est legatos regis non dimittere,
 31 non veto dimitti ; verum cruciari fame,
 32 ne ventrem continere non possint suum.
 33 Illi autem qui miserunt bis tam futtiles
 34 numquam carebunt hominum contumelia."
 35 Ita nunc legatos expectantes posteros,
 36 novum ut venire quis videt culum olfacit.

Serpens Misericordi Nociua

P4_21 v.1 Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
 2 Gelu rigentem quidam colubram sustulit
 3 sinuque fovit, contra se ipse misericors,
 4 namque ut refecta est necuit hominem protinus.
 5 Hanc alia cum rogaret causam facinoris,
 6 respondit : "Ne quis discat prodesse improbis."

Vulpis et Draco

P4_22 v.1 Vulpes cubile fodiens dum terram eruit
 2 agitque pluris altius cuniculos,
 3 pervenit ad draconis speluncam ultimam,
 4 custodiebat qui thesauros abditos.
 5 Hunc simul aspexit : "Oro ut inprudenciae
 6 des primum veniam ; deinde si pulchre vides
 7 quam non conveniens aurum sit vitae meae,
 8 respondeas clementer : quem fructum capis
 9 hoc ex labore, quodve tantum est praemium
 10 ut careas somno et aevum in tenebris exigas ? "
 11 "Nullum" inquit ille, "verum hoc ab summo mihi
 12 Jove adtributum est." "Ergo nec sumis tibi
 13 nec ulli donas quidquam ? " "Sic Fatis placet."
 14 "Nolo irascaris, libere si dixero :
 15 dis est iratis natus qui est similis tui."
 16 Abiturus illuc quo priores abierunt,
 17 quid mente caeca miserum torques spiritum ?
 18 Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
 19 qui ture superos, ipsum te fraudas cibo,
 20 qui tristis audis musicum citharae sonum,
 21 quem tibi arum macerat jucunditas,
 22 obsoniorum pretia cui gemitum exprimunt,
 23 qui dum quadrantes aggeris patrimonio
 24 caelum fatigas sordido perjurio,
 25 qui circumcidis omnem inpensam funeri
 26 Libitina ne quid de tuo faciat lucri.

Phaedrus

P4_23 v.1 Quid judicare cogitas, Livor, modo ?
 2 Licet dissimulet, pulchre tamen intellego.
 3 Quicquid putabit esse dignum memoria,
 4 Aesopi dicet ; si quid minus adriserit,
 5 a me contendet fictum quovis pignore.
 6 Quem volo refelli jam nunc responso meo :

7 sive hoc ineptum sive laudandum est opus,
 8 invenit ille, nostra perfecit manus.
 9 Sed exsequamur coepti propositum ordinem.

De Simonide

P4_24 v.1 Homo doctus in se semper divitias habet.
 2 Simonides, qui scripsit egregium melos,
 3 quo paupertatem sustineret facilius,
 4 circum ire coepit urbes Asiae nobiles,
 5 mercede accepta laudem victorum canens.
 6 Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
 7 remeare in patriam voluit cursu pelagio ;
 8 erat autem, ut aiunt, natus in Cia insula.
 9 Ascendit navem ; quam tempestas horrida
 10 simul et vetustas medio dissolvit mari.
 11 Hi zonas, illi res pretiosas colligunt
 12 subsidium vitae. Quidam curiosior :
 13 "Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis ? "
 14 "Mecum" inquit "mea sunt cuncta." Tunc pauci enatant,
 15 quia plures onere degravati perierant.
 16 Praedones adsunt, rapiunt quod quisque extulit,
 17 nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope
 18 antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
 19 Hic litterarum quidam studio deditus,
 20 Simonidis qui saepe versus legerat
 21 eratque absentis admirator maximus,
 22 sermone ab ipso cognitum cupidissime
 23 ad se recepit ; veste, nummis, familia
 24 hominem exornavit. Ceteri tabulam suam
 25 portant rogantes victum ; quos casu obvios
 26 Simonides ut vidit : "Dixi" inquit "mea
 27 mecum esse cuncta ; vos quod rapuistis perit."

Mons Parturiens

P4_25 v.1 Mons parturibat, gemitus immanes ciens,
 2 eratque in terris maxima expectatio.
 3 At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,
 4 qui magna cum minaris, extricas nihil.

Formica et Musca

P4_26 v.1 Nihil agere quod non prosit fabella indicat.
 2 Formica et musca contendebant acriter,
 3 quae pluris esset. Musca sic coepit prior :
 4 "Conferre nostris num potes te laudibus ?
 5 Moror inter aras, templa perlustro deum ;
 6 ubi immolatur, exta praegusto omnia ;
 7 in capite regis sedeo cum visum est mihi,
 8 et matronarum casta delibo oscula.
 9 Laboro nihil atque optimis rebus fruor.
 10 Quid horum simile tibi contingit, rustica ? "
 11 "Est gloriosus sane convictus deum,
 12 sed illi qui invitatus, non qui invisus est.
 13 Aras frequentas ? Nempe abigeris, quom venis.
 14 Reges commemoras et matronarum oscula ?
 15 Super etiam jactas tegere quod debet pudor.
 16 Nihil laboras ? Ideo, cum opus est, nihil habes.
 17 Ego grana in hiemem cum studiose congero,
 18 te circa murum pasci video stercore ;

19 mori contractam cum te cogunt frigora,
 20 me copiosa recipit incolumem domus.
 21 Aestate me laccessis ; cum bruma est siles.
 22 Satis profecto rettudi superbiam."
 23 Fabella talis hominum discernit notas,
 24 eorum qui se falsis ornant laudibus,
 25 et quorum virtus exhibet solidum decus.

Poeta

P4_27 v.1 Quantum valerent inter homines litterae
 2 dixi superius ; quantus nunc illis honos
 3 a superis sit tributus tradam memoriae.
 4 Simonides idem ille de quo rettuli,
 5 victori laudem cuidam pyctae ut scriberet
 6 certo conduxit pretio, secretum petit.
 7 Exigua cum frenaret materia impetum,
 8 usus poeta moris est licentia
 9 atque interposuit gemina e Lede sidera,
 10 auctoritatem similis referens gloriae.
 11 Opus adprobavit ; sed mercedis tertiam
 12 accepit partem. Cum reliquum posceret :
 13 "Illi" inquit "reddent quorum sunt laudis duae.
 14 Verum, ut ne irate te dimissum sentiant,
 15 ad cenam mihi promitte ; cognatos volo
 16 hodie invitare, quorum es in numero mihi."
 17 Fraudatus quamvis et dolens injuria,
 18 ne male dimissus gratiam corrumperet,
 19 promisit, rediit hora dicta, recubuit.
 20 Splendebat hilare poculis convivium,
 21 magno apparatu laeta resonabat domus,
 22 repente duo cum juvenes, sparsi pulvere,
 23 sudore multo diffluentes tempora
 24 humanam supra formam, cuidam servolo
 25 mandant ut ad se provocet Simonidem ;
 26 illius interesse ; ne faciat moram.
 27 Homo perturbatus excitat Simonidem.
 28 Unum promorat vix pedem triclinio,
 29 ruina camarae subito oppressit ceteros ;
 30 nec ulli juvenes sunt reperti ad januam.
 31 Ut est vulgatus ordo narratae rei
 32 omnes scierunt numinum praesentiam
 33 vati dedisse vitam mercedis loco.

Epilogus: Poeta ad Particulonem

P4_28 v.1 Adhuc supersunt multa quae possim loqui,
 2 et copiosa abundat rerum varietas ;
 3 sed temperatae suaves sunt argutiae,
 4 immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime,
 5 Particulo, chartis nomen victurum meis
 6 Latinis dum manebit pretium litteris,
 7 si non ingenium, certe brevitatem adproba,
 8 quae commendari tanto debet justius
 9 quanto cantores sunt molesti validius.

Prologus: Idem Poeta

P5_1 v.1 Aesopi nomen sicubi interposuero,
 2 cui reddidi jam pridem quicquid debui,
 3 auctoritatis esse scito gratia ;

4 ut quidam artifices nostro faciunt saeculo,
 5 qui pretium operibus majus inveniunt novis,
 6 si marmori adscripserunt Praxitelen scabro,
 7 Trito Myronem argento, tabulae Zeuxidem.
 8 Adeo fucatae plus vetustati favet
 9 invidia mordax quam bonis praesentibus.
 10 Sed jam ad fabellam haut talis exempli feror.

Demetrius Rex et Menander Poeta

P5_2 v.1 Demetrius, qui dictus est Phalereus,
 2 Athenas occupavit imperio improbo.
 3 Ut mos est vulgi, passim et certatim ruit ;
 4 "feliciter ! " succlamant. Ipsi principes
 5 illam osculantur qua sunt oppressi manum,
 6 tacite gementes tristem fortunae vicem.
 7 Quin etiam resides et sequentes otium,
 8 ne defuisse noceat, repunt ultimi ;
 9 in quis Menander, nobilis comoediis
 10 quas ipsum ignorans legerat Demetrius
 11 et admiratus fuerat ingenium viri,
 12 unguento delibutus, vestitu fluens,
 13 veniebat gressu delicato et languido.
 14 Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine :
 15 "Quisnam cinaedus ille in conspectu meo
 16 audet venari ? " Responderunt proximi :
 17 "Hic est Menander scriptor." Mutatus statim
 18 "Homo" inquit "fieri non potest formosior."

Duo Milites et Latro

P5_3 v.1 Duo cum incidissent in latronem milites,
 2 unus profugit, alter autem restitit
 3 et vindicavit sese forti dextera.
 4 Latrone excusso timidus accurrit comes
 5 stringitque gladium, dein rejecta paenula :
 6 "Cedo" inquit "illum ; jam curabo sentiat
 7 quos attemptarit." Tunc qui depugnaverat :
 8 "Vellem istis verbis saltem adjuvisses modo ;
 9 constantior fuissem vera existimans.
 10 Nunc conde ferrum et linguam pariter futilem.
 11 Fors possis alios ignorantes fallere :
 12 ego, qui sum expertus quantis fugias viribus,
 13 scio quam virtuti non sit credendum tuae."
 14 Illi adsignari debet haec narratio
 15 qui re secunda fortis est, dubia fugax.

Caluus et Musca

P5_4 v.16 Calvi momordit musca nudatum caput ;
 17 quam opprimere captans alapam sibi duxit gravem.
 18 Tunc illa inridens : "Punctum volucris parvulae
 19 voluisti morte ulcisci ; quid facies tibi,
 20 injuriae qui addideris contumeliam ? "
 21 Respondit : "Mecum facile redeo in gratiam,
 22 quia non fuisse mentem laedendi scio.
 23 Sed te, contempti generis animal improbum,
 24 quae delectaris bibere humanum sanguinem,
 25 optem carere vel majore incommodo."
 26 Hoc argumento ei decet veniam dari
 27 qui casu peccat ; quin qui consilio est nocens

28 illum esse quavis dignum poena judico.

Asinus et Porcelli Hordeum

P5_5 v.1 Quidam immolasset verrem cum sancto Herculi,
 2 cui pro salute votum debebat sua,
 3 asello jussit reliquias poni hordei.
 4 Quas aspernatus ille sic locutus est :
 5 "Libenter istum prorsus adpeterem cibum,
 6 nisi qui nutritus illo est jugulatus foret."
 7 Hujus respectu fabulae deterritus,
 8 periculosum semper vitavi lucrum.
 9 Sed dicis : "Qui rapuere divitias, latent."
 10 Numeremus agedum qui deprensi perierunt ;
 11 majorem turbam punitorum reperies.
 12 Paucis temeritas est bono, multis malo.

Scurra et Rusticus

P5_6 v.1 Pravo favore labi mortales solent,
 2 et, praejudicio dum stant erroris sui,
 3 ad paenitendum rebus manifestis agi.
 4 Facturus ludos dives quidam nobilis
 5 proposito cunctos invitavit praemio
 6 quam quisque posset ut novitatem ostenderet.
 7 Venere artifices laudis ad certamina ;
 8 quos inter scurra, notus urbano sale,
 9 habere dixit se genus spectaculi
 10 quod in theatro numquam prolatum foret.
 11 Dispersus rumor civitatem concitat.
 12 Paulo ante vacuam ; turbae deficiunt loca.
 13 In scaena vero postquam solus constitit
 14 sine apparatu, nullis adjutoribus,
 15 silentium ipsa fecit expectatio.
 16 Ille in sinum repente demisit caput
 17 et sic porcelli vocem est imitatus sua,
 18 verum ut subesse pallio contenderent
 19 et excuti juberent. Quo facto simul
 20 nihil est repertum, multi honorant lancibus,
 21 omnesque plausu prosequuntur maximo.
 22 Hoc videt ut fieri rusticus : "Non mehercule
 23 me vincet" inquit ; et statim professus est
 24 idem facturum melius se postridie.
 25 Fit turba major, tam favor mentes tenet
 26 et derisuros, non spectaturos ciet.
 27 Uterque prodit. Scurra degrunnit prior
 28 movetque plausus et clamores suscitatur.
 29 Tunc simulans sese vestimentis rusticus
 30 porcellum obtegere (quod faciebat scilicet,
 31 sed, in priore quia nil compererat, latens)
 32 pervellit aurem vero, quem celaverat,
 33 et cum dolore vocem naturae exprimit.
 34 Adclamat populus scurram multo similis
 35 imitatum, et capite rusticum trudit foras.
 36 At ille profert ipsum porcellum e sinu,
 37 turpemque aperto pignore errorem probans :
 38 "En hic declarat quales sitis iudices ! "

Duo Calui

P5_7 v.1 Invenit calvus forte in trivio pectinem.

2 Accessit alter aeque defectus pilis.
 3 "Eia ! " inquit "in commune quodcumque est lucri."
 4 Ostendit ille praedam et adjecit simul :
 5 "Superum voluntas favit ; sed fato invido
 6 carbonem, ut aiunt, pro thensauro invenimus."
 7 Quem spes delusit, huic querelae concinet.

Princeps Tibicen

P5_8 v.1 Ubi vanus animus aura captus frivola
 2 arripuit insolentem sibi fiduciam,
 3 facile ad derisum stulta levitas ducitur.
 4 Princeps tibicen notior paulo fuit,
 5 operam Bathyllo solitus in scaena dare.
 6 Is forte ludis, non satis memini quibus,
 7 dum pegma rapitur, concidit casu gravi
 8 necopinus et sinistram fregit tibiam,
 9 duas cum dextras maluisset perdere.
 10 Inter manus sublatus et multum gemens
 11 domum refertur. Aliquot menses transeunt,
 12 ad sanitatem dum venit curatio.
 13 Ut spectatorum molle est et lepidum genus,
 14 desiderari coepit, cujus flatibus
 15 solebat excitari saltantis vigor.
 16 Erat facturus ludos quidam nobilis.
 17 Ut incipiebat Princeps pede circum ingredi,
 18 is vicit pretio precibus, ut tantummodo
 19 ipso ludorum ostenderet sese die.
 20 Qui simul advenit, rumor de tibicine
 21 fremit in theatro. Quidam adfirmant mortuum,
 22 quidam in conspectum proditurum sine mora.
 23 Aulaeo misso, devolutis tonitribus
 24 di sunt locuti more translaticio.
 25 Tunc chorus ignotum modo reducto canticum
 26 inposuit, cujus haec fuit sententia :
 27 "laetare, incolumis Roma, salvo principe !"
 28 In plausus consurrectum est. Jactat basia
 29 tibicen, gratulari fautores putans.
 30 Equester ordo stultum errorem intellegit
 31 magnoque risu canticum repeti jubet.
 32 Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
 33 totum prosternit. Plaudit inludens eques ;
 34 rogare populus hunc choro veniam aestimat.
 35 Ut vero cuneis notuit res omnibus,
 36 Princeps, ligato crure nivea fascia,
 37 niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
 38 superbiens honore divinae domus,
 39 ab universis capite est protrusus foras.

Tempus

P5_9 v.1 Cursor volucris, pendens in novacula,
 2 calvus comosa fronte, nudo occipitio,
 3 (quem si occuparis teneas ; elapsum semel
 4 non ipse possit Juppiter reprehendere),
 5 occasionem rerum significat brevem.
 6 Effectus impediret ne segnis mora,
 7 finxere antiqui talem effigiem Temporis.

Taurus et Vitulus

P5_10 v.1 Angusto in aditu taurus luctans cornibus
 2 cum vix intrare posset ad praesepia,
 3 monstrabat vitulus quo se pacto flecteret.
 4 "Tace" inquit ; "ante hoc novi quam tu natus es."
 5 Qui doctiorem emendat sibi dici putet.

Canis Vetulus et Venator

P5_11 v.1 Adversus omnes fortis et velox feras
 2 canis cum domino semper fecisset satis,
 3 languere coepit annis ingravantibus.
 4 Aliquando objectus hispidi pugnae suis,
 5 arripuit aurem ; sed cariosis dentibus
 6 praedam dimisit hietans. Venator dolens
 7 canem objurgabat. Cui senex contra Lacon :
 8 "Non te destituit animus, sed vires meae.
 9 Quod fuimus lauda, si jam damnas quod sumus."
 10 Hoc cur, Philete, scripserim pulchre vides.

[Simius et uulpes]

P6_1 v.1 Vulpem rogabat partem caudae simius,
 2 contegere honeste posset ut nudas nates.
 3 Cui sic maligna : "Longior fiat licet,
 4 tamen illam citius per lutum et spinas traham,
 5 quam tibi particulam quamvis parvam impartiar."

[Auctor]

P6_2 v.1 Hoc quaecumque est Musa quod ludit mea,
 2 nequitia pariter laudat et frugalitas,
 3 sed haec simpliciter ; illa tacite irascitur.

[Animalium dotes]

P6_3 v.1 Arbitrio si Natura fixisset meo
 2 genus mortale, longe foret instructius ;
 3 nam cuncta nobis attribuisset commoda
 4 quae cui Fortuna indulgens animali dedit,
 5 elephantis vires, et leonis cum impetu
 6 cornicis aevum ; spiritum tauri trucis,
 7 equi velocis placidam mansuetudinem ;
 8 at esset homini sua tamen sollertia.
 9 Nimirum in caelo secum ridet Juppiter,
 10 haec qui negavit magno consilio hominibus,
 11 ne sceptrum mundi raperet nostra audacia.
 12 Ergo contenti munere invicti Jovis
 13 fatalis annos decurramus temporis,
 14 nec plus conemur quam sinit mortalitas.

[Mercurius et mulieres duae]

P6_4 v.1 Mercurium hospitio mulieres olim duae
 2 inliberali et sordido receperant,
 3 quarum una in cunis parvum habebat filium,
 4 quaestus placebat alteri meretricius.
 5 Ergo ut referret gratiam officiis parem,
 6 abiturus et jam limen excedens ait :
 7 "Deum videtis ; tribuam vobis protinus
 8 quod quaeque optarit." Mater suppliciter rogat
 9 barbatum ut videat natum quam primum suum ;
 10 moecha ut sequatur sese quidquid tetigerit.
 11 Volat Mercurius, intro redeunt mulieres.

12 Barbatus infans, ecce, vagitus ciet.
 13 Id forte meretrix cum rideret validius,
 14 nares replevit umor ut fieri solet.
 15 Emungere igitur se volens prendit manu
 16 traxitque ad terram nasi longitudinem,
 17 et aliam ridens ipsa ridenda extitit.

[Prometheus et dolus]

P6_5 v.1 Olim Prometheus saeculi figulus novi
 2 creta subtili Veritatem fecerat,
 3 Ut jura posset inter homines reddere.
 4 Subito accersitus nuntio magni Jovis
 5 commendat officinam fallaci Dolo,
 6 in disciplinam nuper quem receperat.
 7 Hic studio accensus facie simulacrum pari,
 8 una statura, simile et membris omnibus,
 9 dum tempus habuit callida finxit manu.
 10 Quod prope jam totum mire cum positum foret,
 11 lutum ad faciendos illi defecit pedes.
 12 Rediit magister ; quo festinanter Dolus
 13 metu turbatus in suo sedit loco.
 14 Mirans Prometheus tantam similitudinem
 15 propriae dividere voluit artis gloriam.
 16 Igitur fornaci pariter duo signa intulit ;
 17 quibus percoctis atque infuso spiritu
 18 modesto gressu sancta incessit Veritas ;
 19 at trunca species haesit in vestigio.
 20 Tunc falsa imago atque operis furtivi labor
 21 Mendacium appellatum est ; quod negantibus
 22 pedes habere philosophis consentio.
 23 Simulata interdum merita prosunt hominibus,
 24 sed tempore ipsa tamen apparet veritas.

[Poenae Inferorum]

P6_6 v.1 Ixion, qui versari narratur rota,
 2 volubilem Fortunam jactari docet.
 3 Adversus altos Sisyphus montes agit
 4 saxum labore summo, quod de vertice
 5 sudore semper irrita revolvitur ;
 6 ostendit hominum id sine spe finis miserias.
 7 Quod stans in amne Tantalus medio sitit,
 8 avari describuntur, quos circumfluit
 9 usus bonorum, sed nil possunt tangere.
 10 Urnis scelestae Danaides portant aquas,
 11 pertusa nec complere possunt dolia ;
 12 immo luxuriae quicquid dederis perfluet.
 13 Novem porrectus Tityos est per jugera,
 14 tristi renatum suggerens poenae jecur ;
 15 quo quis majorem possidet terrae locum,
 16 hoc demonstratur cura graviore adfici.
 17 Consulito involvit veritatem antiquitas
 18 ut sapiens intellexeret, erraret rudis.

[Delphicum oraculum]

P6_7 v.1 "Utilius populis quid sit dic, Phoebae, obsecro,
 2 qui Delphos et formosum Parnasum incolis."
 3 Subito sacratae vatis horrescunt comae,
 4 tripodes moventur, mugit adytis Religio,

5 tremuntque lauri et ipse pallescit dies.
 6 Vocem resolvit icta Python numine :
 7 "Audite, gentes, Delii monitus dei :
 8 pietatem colite, vota superis reddite ;
 9 patriam, parentes, natos, castas conjuges
 10 defendite armis, hostem ferro aspellite ;
 11 amicos sublevate, miseris parcite ;
 12 bonis favete, subdolis ite obviam ;
 13 delicta vindicate, corripite impios,
 14 punite turpi thalamos qui violant stupro ;
 15 malos cavete, nulli nimium credite."
 16 Haec elocuta concidit virgo furens ;
 17 furens profecto, nam quae dixit perdidit.

[Aesopus et scriptor]

P6_8 v.1 Aesopo quidam scripta recitarat mala,
 2 in quis inepte multum se jactaverat.
 3 Scire ergo cupiens quidnam sentiret senex,
 4 "Numquid sum verbis visus tibi superbior,
 5 aut vana nobis ingeni fiducia est ? "
 6 Confectus ille pessimo volumine :
 7 "Ego" inquit "quod te laudas vehementer probo,
 8 namque hoc ab alio numquam continget tibi."

[Pompeius et miles]

P6_9 v.1 Magni Pompeii miles vasti corporis
 2 fracte loquendo et ambulando molliter
 3 famam cinaedi traxerat certissimi.
 4 Hic insidiatus nocte jumentis ducis
 5 cum veste et auro et magno argenti pondere
 6 avertit mulos. Factum rumor dissipat ;
 7 arguitur miles, rapitur in praetorium.
 8 Tum Magnus : "Quid ais ? Tune me, commilito,
 9 spoliare es ausus ? " Ille continuo exscreat
 10 sibi in sinistram et sputum digitis dissicit.
 11 "Sic, imperator, oculi exstillescant mei,
 12 si vidi aut tetigi." Tum vir animi simplicis
 13 id dedecus castrorum propelli jubet,
 14 nec cadere in illum credit tantam audaciam.
 15 Breve tempus intercessit, et fidens manu
 16 unum de nostris provocabat barbarus.
 17 Sibi quisque metuit ; primi jam mussant duces.
 18 Tandem cinaedus habitu, sed Mars viribus
 19 adit sedentem pro tribunali ducem,
 20 et voce molli : "Licet ? " Eum vero eici,
 21 ut in re atroci, Magnus stomachans imperat.
 22 Tum quidam senior ex amicis principis :
 23 "Hunc ego committi satius fortunae arbitror,
 24 in quo jactura levis est, quam fortem virum,
 25 qui casu victus temeritatis te arguat."
 26 Assensit Magnus et permisit militi
 27 prodire contra ; qui mirante exercitu
 28 dicto celerius hostis abscidit caput,
 29 victorque rediit. His tunc Pompeius super :
 30 "Corona, miles, equidem te dono libens,
 31 quia vindicasti laudem Romani imperi ;
 32 sed exstillescant oculi sic" inquit "mei"
 33 turpe illud imitans jus jurandum militis,

34 "nisi tu abstulisti sarcinas nuper meas."

[Iuno, Venus et gallina]

P6_10 v.1 Cum castitatem Juno laudaret suam,
 2 jucunditatis causa non renuit Venus,
 3 nullam quae ut significaret esse illi parem,
 4 interrogasse sic gallinam dicitur :
 5 "Dic, sodes, quanto possis satiari cibo. "
 6 Respondit illa : "Quidquid dederis, satis erit,
 7 sic, ut concedas pedibus aliquid scalpere."
 8 "Ne scalpas" inquit "satis est modius tritici ?
 9 "Plane, immo nimium est, sed permittes scalpere."
 10 "Ex toto, nequid scalpas, quid desideras ? "
 11 Tum denique illa fassa est naturae malum :
 12 "Licet horreum mi pateat, ego scalpam tamen."
 13 Risisse Juno dicitur Veneris jocos,
 14 quia per gallinam denotavit feminas.

Iuencus et bos uetulus

P6_11 v.1 Paterfamilias saevum habebat filium.
 2 Hic, e conspectu cum patris recesserat,
 3 verberibus servos afficiebat plurimis
 4 et exercebat fervidam adulescentiam.
 5 Aesopus ergo narrat hoc breviter seni :
 6 "Quidam juvenco vetulum adjungebat bovem.
 7 Is cum refugiens impari collo jugum
 8 aetatis excusaret vires languidas :
 9 "Non est quod timeas" inquit illi rusticus ;
 10 "non ut labores facio, sed ut istum domes,
 11 qui calce et cornu multos reddit debiles ;
 12 Sic tu ni tecum assidue retines filium,
 13 feroxque ingenium comprimis clementia,
 14 vide ne querela major accrescat domus."

[Aesopus et uictor gymnicus]

P6_12 v.1 Victorem forte gymnici certaminis
 2 jactantiozem Phryx cum vidisset sophos,
 3 interrogavit an plus adversarius
 4 valuisset nervis. Ille : "Ne istud dixeris ;
 5 multo fuere vires majores meae."
 6 "Quod" inquit "ergo, stulte, meruisti decus,
 7 minus valentem se vicisti fortior ?
 8 Ferendus esses, arte si te diceres
 9 superasse eum qui te esset melior viribus."

[Asinus et lyra]

P6_13 v.1 Asinus jacentem vidit in prato lyram.
 2 Accessit et temptavit chordas ungula ;
 3 sonuere tactae. "Bella res mehercules ;
 4 male cessit" inquit "artis quia sum nescius.
 5 Si repperisset aliquis hanc prudentior,
 6 divinis aures oblectasset cantibus."
 7 Sic saepe ingenia calamitate intercidunt.

[Vidua et miles]

P6_14 v.1 Ephesi aliquot annis quaedam dilectum virum
 2 amisit et sarcophago corpus condidit ;
 3 abs quo revelli nullo cum posset modo

4 et in sepulchro lugens vitam degeret,
 5 claram assecuta est famam casto viduvio.
 6 Interea fanum qui compilarant Jovis,
 7 cruci suffixi luerunt poenas numini.
 8 Horum reliquias ne quis posset tollere,
 9 custodes dantur milites cadaverum
 10 monumentum juxta, mulier quo se incluserat.
 11 Aliquando sitiens unus de custodibus
 12 aquam rogavit media nocte ancillulam,
 13 quae forte dominae tunc adsistebat suae,
 14 dormitum euntem ; nam illa lucubraverat
 15 et usque in serum vigilias perduxerat.
 16 Paulum reclusis foribus miles prospicit
 17 videtque egregiam facie pulchra feminam.
 18 Correptus animus ilico succenditur
 19 oriturque sensim ut impotentis cupiditas,
 20 sollers acumen mille causas invenit
 21 per quas videre posset viduam saepius.
 22 Cotidiana capta consuetudine
 23 paulatim facta est advenae submissior,
 24 mox artior devinxit animum copula.
 25 Hic dum consumit noctes custos diligens,
 26 desideratum est corpus ex una cruce.
 27 Turbatus miles factum exponit mulieri.
 28 At sancta vidua "Non est quod timeas" ait ;
 29 virique corpus tradit figendum cruci,
 30 ne subeat ille poenas neglegentiae.
 31 Sic turpitudine laudis obsedit locum.

[Virgo et proci duo]

P6_15 v.1 Unam expectebant virginem juvenes duo.
 2 Vicit locuples genus et formam pauperis.
 3 Ut nuptiarum dictus advenit dies,
 4 amans dolorem quia non poterat perpeti,
 5 maerens propinquos contulit se in hortulos,
 6 quos ultra paulo villa splendens divitis
 7 erat acceptura virginem e matri sinu,
 8 pompa explicatur, turba concurrit frequens,
 9 et conjugalem praefert Hymenaeus facem.
 10 Asellus autem, qui solebat pauperi
 11 quaestum deferre, stabat portae in limine.
 12 Illum puellae casu conducunt sui,
 13 viae labores teneros ne laedant pedes.
 14 Repente caelum, Veneris misericordia,
 15 ventis movetur, intonat mundi fragor
 16 noctemque densis horridam nimbis parit :
 17 lux rapitur oculis et simul vis grandinis
 18 effusa trepidos passim comites dissipat,
 19 sibi quemque cogens petere praesidium fuga.
 20 Asellus notum proxime tectum subit
 21 et voce magna sese venisse indicat.
 22 Procurrunt pueri, pulchram aspiciunt virginem
 23 et admirantur ; deinde domino nuntiant.
 24 Inter sodales ille paucos accubans
 25 amorem crebris avocabat poculis.
 26 Ubi nuntiatum est, recreatus gaudiis
 27 hortante Baccho et Venere, dulcis perficit
 28 aequalitatis inter plausus nuptias.

29 Quaeerunt parentes per praeconem filiam ;
 30 novus maritus conjuge amissa dolet.
 31 Quid esset actum postquam populo innotuit,
 32 omnes favorem comprobarunt caelitem.

[Aesopus et domina]

P6_16 v.1 Aesopus turpi cum serviret feminae,
 2 quae se expingendo totum tricaret diem,
 3 vestem uniones, aurum argentum sumeret,
 4 nec inveniret digito qui se tangeret :
 5 "Licetne paucis ? " Inquit. "Dicas." "Censeo,
 6 quidvis efficies, cultum se deposueris."
 7 "Adeone per me videor tibi venustula ? "
 8 "Immo aes ni dederis, sponda cessabit tua."
 9 "At non cessabunt latera" respondit "tua" ;
 10 et objurgari jussit ferulis garrulum.
 11 Paulo post tollit fur armillam argenteam.
 12 Quam jam non apparere ut dictum est mulieri,
 13 furore ad se omnis plena vocat, et verbera
 14 proponit gravia, verum si non dixerint.
 15 "Aliis minare ; me" inquit "non falles, sophos ;
 16 flagris sum caesus , verum quia dixi modo."

[Gallus et feles lepticarii]

P6_17 v.1 Feles habebat gallus lepticarios.
 2 Quem gloriosum vulpes ut vidit vehi,
 3 sic est locuta : "Moneo praecaveas dolum ;
 4 istorum vultus namque si consideres,
 5 praedam portare iudices, non sarcinam."
 6 Postquam esurire coepit felum societas
 7 discerpit dominum et fecit partes funeris.

[Scrofa parturiens et lupo]

P6_18 v.1 Premente partu scrofa cum gerneret jacens,
 2 accurrit lupo et obstetricis partibus
 3 se posse fungi dixit, promittens opem.
 4 Quae vero nosset pectoris fraudem improbi,
 5 suspectum officium repudiavit malefici
 6 et "Satis est" inquit "si recedis longius."
 7 Quodsi perfidiae se commisisset lupi,
 8 raptos dolose feta deflesset suos.

[Aesopus et servus profugus]

P6_19 v.1 Servus profugiens dominum naturae asperae
 2 Aesopo occurrit, notus e vicinia.
 3 "Quid tu confusus ? " "Dicam tibi clare, pater,
 4 (hoc namque es dignus appellari nomine),
 5 tuto querela quia apud te deponitur.
 6 Plagae supersunt, desunt mihi cibaria ;
 7 subinde ad villam mittor sine viatico ;
 8 Domi si cenat, totis persto noctibus ;
 9 sive est vocatus, jaceo ad lucem in semita.
 10 Emerui libertatem, canus servio
 11 (ullius essem culpae mihi si conscius,
 12 aequo animo ferrem ; nunquam sum factus satur
 13 et super infelix saevum patior dominium.
 14 Has propter causas et quas longum est promere
 15 abire destinavi quo tulerint pedes."

16 "Ergo" inquit "audi : cum mali nil feceris,
 17 haec experiris, ut refers, incommoda ;
 18 quid si peccaris ? Quae te passurum putas ? "
 19 Tali consilio est a fuga deterritus.

[Equus abactus]

P6_20 v.1 Equum e quadriga multis palmis nobilem
 2 abegit quidam et in pistrinum vendidit.
 3 Productus ad bibendum cum foret a molis,
 4 in circum aequales ire conspexit suos,
 5 ut grata ludis redderent certamina.
 6 Lacrimis obortis : "Ite felices," ait ;
 7 "celebrate sine me cursu sollemnem diem ;
 8 ego, quo scelesta furis attraxit manus,
 9 ibi sorte tristi fata deflebo mea."

[Ursus et cammari]

P6_21 v.1 Si quando in silvis urso desunt copiae,
 2 scopulosum ad litus currit et prendens petram
 3 pilosa crura sensim demittit vado ;
 4 quorum inter villos simul haeserunt cammari,
 5 in terram abripiens excutit praedam maris
 6 escaque fruitur passim collecta vafer.
 7 Ergo etiam stultis acuit ingenium fames.

[Corvus salutator]

P6_22 v.1 Quidam per agros devium carpens iter
 2 "ave" exaudivit et moratus paululum,
 3 adesse ut vidit neminem, cepit gradum.
 4 Iterum salutatur idem ex occulto sonus.
 5 Voce hospitali confirmatus restitit,
 6 ut, quisquis esset, par officium reciperet.
 7 Cum circumspectans aequor haesisset diu
 8 et perdidisset tempus aliquot milium,
 9 ostendit sese corvus et supervolans
 10 "ave" usque ingessit. Tum se lusum intelligens
 11 "At tibi pro hoc male sit, ales" inquit, "pessime,
 12 qui festinantis sic detinuisti pedes."

[Cornu fractum]

P6_23 v.1 Pastor capellae cornu baculo fregerat ;
 2 rogare coepit ne se domino proderet.
 3 "Quamvis indigne laesa reticebo tamen ;
 4 sed res clamabit ipsa quid deliqueris."

[Serpens et lacerta]

P6_24 v.1 Serpens lacertam forte aversam prenderat ;
 2 quam devorare patula cum vellet gula,
 3 arripuit illa prope jacentem surculum,
 4 et pertinaci morsu transversum tenens
 5 avidum sollerti rictum frenavit mora.
 6 Praedam dimisit ore serpens irritam.

[Cornix et ouis]

P6_25 v.1 Odiosa cornix super ovem consederat ;
 2 quam dorso cum tulisset invita et diu :
 3 "Hoc" inquit "si dentato fecisses cani,
 4 poenas dedisses." Illa contra pessima :

5 "Despicio inermes, eadem cedo fortibus ;
6 scio quem lacessam, cui dolosa blandiar.
7 Ideo senectam mille in annos prorogo."

[Socrates et servus moechus]

P6_26 v.1 Cum servus nequam Socrati male diceret,
2 uxorem domini qui corrupisset sui,
3 idque ille sciret notum circumstantibus :
4 "Places tibi" inquit "quia cui non debes places ;
5 sed non impune, quia cui debes non places."

[Lupus et bubulcus]

P6_27 v.1 Cum venatorem celeri pede fugeret lupus
2 et a bubulco visus veprem irreperet,
3 "Per te oro superos perque spes omnes tuas
4 ne me indices, bubulce ; nihil umquam mali
5 huic, juro, feci." At rusticus : "Ne timueris ;
6 late securus." Jamque venator sequens :
7 "Quaeso, bubulce, numquid huc venit lupus ? "
8 "Venit, sed abiit hac ad laevam," et dexteram
9 demonstrat nutu partem. Venator citus
10 non intellexit seque e conspectu abstulit.
11 Tunc sic bubulcus : "Ecquid est gratum tibi
12 quod te celavi ? " "Linguae prorsus non nego
13 habere atque agere gratias me maximas ;
14 verum oculis ut priveris opto perfidis."

[Meretrix et iuuenis]

P6_28 v.1 Cum blandiretur juveni meretrix perfida,
2 et ille laesus multis saepe injuriis
3 tamen praeberet sese facilem mulieri,
4 sic insidiatrix : "Omnes muneribus licet
5 contendat, ego te plurimi facio tamen."
6 Juvenis recordans quotiens deceptus foret :
7 "Lubenter," inquit, "mea lux, hanc vocem audio,
8 non quod fidelis, sed quod jucunda est mihi."

[Feber sive castor]

P6_29 v.1 Canes effugere cum jam non possit feber
2 (Graeci loquaces quem dixerunt castorem,
3 et indiderunt bestiae nomen dei,
4 illi qui jactant se verborum copia),
5 abripere morsu fertur testiculos sibi,
6 quia propter illos sentiat sese peti.
7 Divina quod ratione fieri non negem ;
8 venator namque simul invenit remedium,
9 omittit ipsum persequi et revocat canes.
10 Hoc si praestare possent homines ut suo
11 vellent carere, tuti posthac viverent ;
12 aud quisquam insidias nudo faceret corpori.

[Papilio et vespa]

P6_30 v.1 Papilio vespae propter volitanti invidens
2 "O sortem iniquam ! Dum vivebant corpora,
3 quorum ex reliquiis animam nos accepimus,
4 ego eloquens in pace, fortis proeliis,
5 arte omni princeps inter aequalis fui ;
6 en cassa levitas putris et volito cinis.

7 Tu, qui fuisti mulus clitellarius,
 8 quemcumque visum est laedis infixo aculeo."
 9 At vespa dignam memoria vocem edidit :
 10 "Non qui fuerimus, sed qui nunc simus, vide."

[Terraneola et uulpes]

P6_31 v.1 Avis quam dicunt terraneolam rustici,
 2 in terra nidum quia componit scilicet,
 3 forte occurrit improbae vulpeculae ;
 4 qua visa pennis altius se sustulit.
 5 "Salve," inquit illa ; "cur me fugisti obsecro,
 6 quasi non abunde sit mihi in prato cibus,
 7 grilli, scarabaei, lucustarum copia ?
 8 Nihil est quod metuas : ego te multum diligo
 9 propter quietos mores et vitam probam."
 10 Respondit : "Nostra tu quidem bene praedicas,
 11 ubi non sum in campo posta, sed susum volo ;
 12 quin sequere : tibi salutem committo meam."